
OFFICIUM BEATAE MARIAE VIRGINIS

Matteo Ricca







OFFICIVM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.





OFFICIUM B. MARIÆ V.

ILLUSTRATUM POETICA PARAPHRASI,

CUM LACRYMIS DAVIDIS,


SEU

PSALMIS POENITENTIALIBUS

Authore

MATTHÆO RICCA E' SOC. IESU.







MONTEREGALI, M. DC.XCIII.

Ex Typographia Vincentij, & Io. Baptistæ FF. de Rubeis.

DD. Superiorum permissu.

IACOBVS MASSIVS

E' Societate IESV

Præpositus Prouincialis Mediolanensis.

CVM Librum, cui titulus est *Officium B. Mariæ Virginis, illustratum Poetica Paraphrasi cum lacrymis Dauidis, seù Psalmis Pœnitentialibus*, à P. Matthæo Ricca, nostræ Societatis compositum, aliquot eiusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultate nobis ab Adm. Reu. P. Thyrso Gonzalez Præposito Generali communicata, concedimus, vt typis mandetur, si ità ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem hàs litteras manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas, dedimus. Genuæ 23. Februarij 1693.

IACOBVS MASSIVS.

Loco † Sigilli.

ILL.MIS, ET COL.MIS DOMINIS, D.NIS


IO. DOMINICO SPINVLÆ PRÆFECTO, ET OFFICIALIBVS

CONGREGATIONIS CONCEPTIONIS

B. MARIÆ V.

In Collegio Genuensi PP. Soc. IESV erectæ,

Matthæus Ricca felicitatem.



Dam lacrymis doloris, & gaudij, regiam vatis hebræi cytharam, vobis ILL.MI D.NI latinis fidibus instructam, paruum, sed vt vestra suadet humanitas, gratum munus exhibeo. Dum psallit diuinæ Matri, vestri cordis, & oris concordia, placet hæc publicè, priuatimq;

uatimque, licet metricis legibus soluta: placituram spero numeris adstrictam. At penes me, male strepera, natiuum decus amisit, & pretium. Vestras veniat in manus: faciet puritas eburneam, Deiparæ cultus auream, & lyræ stellatæ, iuxta cygni sydera, parem. Non dubito vos oloribus conferre: tales probat eximius candor, & cantus. Sub optimis bonarum artium magistris, nunc elegos canitis ad tibiam, nunc heroes ad lyram, nunc ad tubam prælia, & vos olim canendi. Nec impudens, & cænosa poesis, vos allicit inuerecunda purpurisso, & venefica lenocinio: sed quæ cælibe lauro, fulminis non metuente, dignior est quòd pudica. Noui superioribus annis, quam bene vestrum nupserit ingenium pietati, in vestros mores coierint innocentior ætas, & grauior, antevertente caniciem prudentia, & quam splendidè rarum decus in vobis eniteat, virtus, nobilitas, & sapientia fœderatæ. Hæc interim cythara, seu potius, rudimentum cytharæ, & languidis, imperfectisque verbis deficiens echo, ò flos iuuenum, vestra solertia ad alias manus, & au-

ret

res excurrat; Erit, qui dauidico fretus cantu, magis quam threicio, ex imis euadat ad ſuperos: & quod meis fidibus deeſt dulcedinis, afferet chorus virtutum, & concentus operum: eaſque præponet orpheæ lyræ, cæleſtis Vrania, Deiparæ laudibus delectata, quas ſi ſatis loqui non poſſumus, nunquam ſilere debemus.



D'or-

EX mandato Reuerendiss. P. F. Alexandri Salettæ Gen. Inquisitoris MontisRegalis non sine magna animi, mentisque meæ recreatione legi Officium B. M. Virginis, cui titulus est: *Officium B. M. Virginis illustratum Poetica Paraphrasi, cum lacrymis Dauidis, seù Psalmis Pœnitentialibus*, Authore Matthæo Ricca è Societate IESV; Cumq; dictas Poeticas paraphases ab omnibus, quæ Orthodoxam fidem, & Apostolica decreta sauciare possint, immunes reperetim, ideò dignas censui, vt in lucem prodeant. Datum in Conuentu S. Dominici MontisRegalis Die 24. Maij 1693.

Fr. Ioseph Maria Bussius Prior, & Vicarius Gen. Sancti Officij MontisRegalis.

EGO Infrascriptus iussu Reuerendissimi Patris F. Alexandri Salettæ Generalis Inquisitoris MontisRegalis, legi attentè libellum, cui titulus: *Officium B. M. Virginis illustratum Poetica paraphrasi, cum lacrymis Dauidis, seù Psalmis Pœnitentialibus*, Authore Matthæo Ricca è Societate Iesu: Nihilque inueni, quod à Catholica abhorreat fide, & bonis moribus aduersetur; Quare censeo posse permitti vt in lucem edatur. In quorum fidem, &c. MonteRegali die 22. Maij Anni 1693.

Io. Iacobus Buruntius de Signoris è Societate IESV, Sancti Officij Consultor.

IMPRIMATVR

FR. IO. ALEXANDER SALETTA
Inquisitor MontisRegalis.



AD B. VIRGINEM
ELEGIA.

RVbra diù, torpent hebeti mea lumina visu:
  Germina quęsitam nulla tulistis opem.
Omnia sub piceo condit nox obuia nimbo,
  Eripit atque oculis astra, diemque meis.
Iure tamen plector: minor est quoque crimine pœna;
  Pendere nec pœnas, sed meruisse pudet.
Virgo parens tremuli gelido Bethlemis in antro,
  Flentis & in stipula, straminibusque Dei:
Adsis; te fugiunt nox, luctus, & eumenis vltrix,
  Cui surgens tumido sibilat angue coma.
Sic lea, sic cęcis procul abditur vrsa latebris,
  Eoę radijs cum patuere fores.
Alma veni. Charites, iuxtà, comitentur euntem;
  Et rebus redeat te veniente color.
Non tibi sidonio rubet ignea purpura fuco:
  Nec misit gemmas diues Erythra comis.
At nigra nox, & clara dies, quod possidet axis;
  Contulit in cultus obsequiosa tuos.
Bis sex ardentis caput induit astra coronæ;
  Sustinet & famulo sydere luna pedes,

Et cycladi toto sol circunfunditur auro:
Seruiat vt Dominę, cogitur omne iubar.
Nec quæram quod myrrha, aut cedri, aut balsama sudant.
Es panace, domitis nota medela malis.
Si non ęqua rogo; saltem, solatia cęcis,
Tende mihi ignauæ dissona fila chelys.
Haud arma, haud fasces, syluasque, ignesq; iuuentæ,
Quos effert fidibus musa proterua, canam.
Carmine Iessei referam sed carmina Regis
Pulsantis, plectro vaticinante, lyram.
O' superis melior cantu, delecta Tonanti
Dicere blanditias, næniolas canere!
Isaidæ quoties turbasti carmine noctes,
Lassarent vigiles cum tibi pensa manus.
Natum, carminibus præcurrens fata, canebas
Inter carnifices ire, redire vias:
Aut ferro insutis sibi membra fatiscere loris,
Intumuisse genas, vepre rigere caput.
Hęrebas niue frigidior: vox rupta dolori:
Et dextra exanimis destituebat opus.
Sępè etiam cum victa forent tibi lumina somno,
Hæc rediit menti tristis imago tuæ.
Vt squallent presso tabentia lilia collo,
Cum nimbus mixtas grandine fudit aquas:
Vtque lacer rapitur ieiuno dente luporum,
Qui tener in viridi luserat agnus agro.
Golgotheo, qua te pietas tulit obuia, cliuo,
Quadrifidum, curuus terga, trahebat onus.
Summum at questa nefas, vigilabas roscida vultum,
Cum nati es fixas visa videre manus:
Traiectosque pedes, riuisque fluente cruore,
Suspendi erecta corpora nuda trabe.
Sępè tamen tristes hilarabant carmina luctus,

Atque

Atque aderat lacrymis altera cauſa tuis.
Prodierat tumulo: qualis poſt murmura ponti
Titan placatis aureus exit aquis.
Pſallebas captiuum erebum, mortemque furentes,
Multiplicem reducis vulnera ferre diem:
Seque ſuo demum properantem reddere cœlo
Scandere, quâ ſolymis canet oliua iugis.
Iſtá tuas etiam meminit chelys enthea Laudes,
Numinis ęterni Filia, Sponſa, Parens.
Diceris aurato clamydem circumdata limbo,
Dextera ſic lateri Regis adeſſe tui;
Iacta ſuper Sanctos tua ſunt fundamina montes,
Vrbs lapſo terris hoſpite digna Deo.
Sanctorum, rerumque Parens, mundique Redemptrix
(Communes titulos natus habere dedit)
Annue laudari: laudato nomine Matris,
Hoc bibet immota Filius aure melos.
Sitis vterque mei, precor, vltimus halitus oris,
Vltimus & cordis deficientis amor.
Inde rudem cytharæ doceat plaga lucida cœli
Inter ſydereos plectra mouere choros.
Sitque operi merces, melius poſt carmina carmen,
Et nunquam cęptis laudibus eſſe modum.
Interea dum, Virgo, tuos prope cernere vultus
Opto: ſed optanti mors mihi lenta venit:
Te nôſcam vitæ, verique, bonique parentem:
Te pulchram, pulchri Mater amoris, amem.



DE POESI PSALMORVM AD LECTOREM.

S*Acra Poesis, vera Religionis Filia, vox prophetiæ, cœlestiumque modulationum æmulatrix, vt primum loqui cœpit; harmonicè Dei laudes cecinit: digna cui cœlites fidibus, & choreis plauderent, & ad quam delira traheretur olim poesis, vt eam suæ puderet fœditatis, & insaniæ. Si repetamus ex Sacris literis eius natalia, deprehenditur omnibus profanis vatibus antiquior. Ante olympiades, Troiam, & Argonautas insonuit epinicium Mosis, & Debboræ, Matrisq; Samuelis Eucharisticon. His deinde facundior Rex Dauid; psalmis nunc in quindenas decadas digestis, aperuit præteritorum mysteriorum arcana, & vaticinia futurorum. Nec ambigat quisquam certa pedum mensura, quæsitaque numerorum lege dauidicam psalmographiam contineri. Memoria proditum est à Ioseph hebræo lib. 7. antiq. c. 10. odas, & hymnos à Dauide in honorem Dei compositos partim trimetro versu constare, partim pentametro. Nec dissentit Hieronymus, qui Paulino scribens,* Dauid, *ait* Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Christum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem. *Pentametri tamen, & trimetri, aliique versus hebræorum nostris longè dispares sunt: Nam propter idioma linguæ, monet idem Hieronymus, dum præfatur in Iob, hebræorum metra* crebrò recipiunt alios pedes non earundem syllabarum, sed eorundem temporum; Interdum quoq; rythmus ipse dulcis, & tinnulus fertur numeris pedum solutis: quod metrici magis, quam simplex Lector, intelligunt.

Omnes Dauidis psalmos latinis metris verterunt ex nostra Societate duo Ludouici, Crucius Olysipponensis, & Magnesius Parisinus. Prior id laboris susceperat Georgius Buchananus ex Leuinia Prouincia Scotus, bonus Poeta, sed pessimus Apostata: cui morituro cum præsens Caluinista suadere vellet orationem dominicam: has preces, dixit, non amplius memini, annos quadraginta neglectas, sed quas in Propertio didici, & diu noctuque cantaui, occurrunt linguæ: Cynthia prima suis miserum me cæpit ocellis; Hæc canens obijt, æternum eiulaturus. Biderman. acroama. 4. lib. 2. n. 67.

Aggressus & ego sum latina lingua metricam facere cantus hebræi partem, Deiparæ speciatim consecratam, adductus in spem, mea poetica paraphrasi posse fortassis occasionem præberi, qua pia iuuentus, præcipue parthenijs sodalitijs adscripta, Sacræ poesis illecta dulcedine, manu, lingua, animoque Dauidem verset frequentius, & sic amore cœlestium, quo purpuratus vbique psaltes vritur, facilius incalescat. Nè verbosior tædium parerem, conatus sum constanter in elegis singulos quosque versiculos distichis complecti.



AD MATVTINVM.

VENITE EXVLTEMVS. Psal. 94.

ARGVMENTVM.

Corde, ore, & opere laudandus est Deus.

DOminium Dei super Dæmones, terram, montes, & mare: Deique prouidentia, quæ nos pascit, vt oues sui gregis, nos excitant ad laudandum corde, ore, & opere tantum Regem. In corde sit exultatio: in ore iubilum, & confessio peccatorum: in opere adoratio, planctus, & obedientia diuinæ Legis, cuius pertinax transgressio Israelitis annos quadraginta peregrinantibus aditum in terram promissam interclusit.

PARAPHRASIS.

1. HVc moniti celerate gradus: ante ora Tonantis;
Quo nobis est empta salus, noua gaudia nostris
Exundent animis, tollantque ad sydera voces.
Et prius offensi quam Numinis ardeat ira,
Haud gemitu, & lacrymis pigeat commissa fateri
Vt sua roranti mansuescant pectora luctu.
Ante etiam, croceo quam sol emittat ab ortu,

Pulsa

Pulsa nocte, diem, primos pia cura, Parentis
Occupet aspectus; venerandas laudibus ędes
Compleat, & psallens circumsonet ęthera plausu.
2. Hic Dominus magno Deus implet numine terras,
Et cœlum: magnus Rex idem hominumque, Deumque;
Quos colis ignatus perituro thure Sacerdos.
Diues opum Dominus non plebis vota repellet.
Possidet eoas, primo quæ sole rubescunt,
Occiduasque plagas, geminoque sub axe niuosas,
Et lustrat, sua regna videns, altissima visu,
Mons vbi prærupto consurgit in aera dorso,
Aerięque iugis irritant fulmina rupes.
3. Hunc penes arbitrium pelagi: tellure cauata
Inclusit fluctus, opifexque potentia dextræ,
Æquora complexas fundauit in aere terras.
Huc cœtus coeas: mecum prece Numen adores;
Quo satus: & coram scelus exitiale perosus
Procumbas, largoque tumescant lumina fletu.
Felices Solymi! Dominusque, Deusque Sionis
Nos ducit Rex, & Pastor, populumque, gregemque,
Inuitant riguis vbi pinguia pascua campis:
4. Ad vestras hodiè sua vox si venerit aures,
Dum res ipsa sinit, ne duri obsistite: cęco
Ceu rigeat sub corde silex: nec auita sequentes
Exempla Isacidum, culpatos, discite mores.
Isacidas plectens (inclamat ab ęthere Numen)
Exarsi, obscuris deserta per auia syluis.
Proh scelus! hic vestri cępit, gens, sanguinis author
Ambiguis hęrere animis, diffidere rebus,
Et vires tentare meas, dubiamque proterua
Explorare fidem; sed quid mea numina possent
Ancipites docuit fida experientia veri,
Visaque lux operum, per inhospita lustra, meorum.
Decus-

5. His propè, dum furerem, decies, quater horrida bruma
Decussit nemori frondes: & perfida, dixi,
Pectora, perpetuo rudis, & temerarius error
Decipit: haud veros calles, mea iussa, sequuntur.
Tot scelerum vindex iuraui feruidus ira:
Non vobis, miseri, requies vbi certa laborum,
Felici dabitur vestigia ponere terra.

ANNOTATIONES.

1. Præoccupemus faciem, *idest iram ex hebræo: vel primo mane nos ante alios inferamus in templum ante conspectum Dei.*

5. Proximus *ad vlciscendum*: infensus; *ad hebr. c. 3.*

HYMNVS.

Quem terra, Pontus, sydera.

1. QVem terra supplex, spumeas pontus minas
Frangens arena littoris,
Cœlumque iussum flammeis linguis loqui,
Placat, tremiscit, & canit,
Frugum potentem, fluctuumque, & sydērum
Fert mater aluo pupulum.

2. Verum latentem matris aluo pupulum
Argenteus lunæ globus
Audit iubentem temporum vehens vices,
Solisque sydus aureum,
Et summa quidquid sphæra cingit ambitu.
Sub lucis ortum roscida

Ceu

Ceu concha eois innatans diues vadis :
Rorante cœlo largius ,
Tument renato plena partu viſcera.
3. O' ter, quaterque cęteris
Hac prole, mater, matribus beatior ;
Si manna cœlo depluum ,
Virgamque rubris imperantem fluctibus
Cęlabat arca fœderis ;
Mundum tenella qui manu claudit puer ,
Se ventre clauſus occulit.
4. O' ter beata! lapſus ales ęthere
Tuum pudorem terruit ;
Sed flantis aura Spiritus fœcunditas
Integritate floruit :
Sic riſus orbis , ceù vitro ſolis iubar ,
Vuluæ receſſu prodijt .
5. Tibi, Parenti , Flaminique ſęculis
Silenda nullis gloria
Æuum per omne viuat , imbellis Deus
A' Matris aluo Virginis ,

S. *Ambroſius creditur author huius hymni à Locrio in Maria Auguſta l. 7. c. 5. Sed Breuiarium arelatenſe authorem notat S. Venantium Honoratum Fortunatum , Epiſcopum Pictauienſem.* Petrus Courcier Soc, Ieſu in cronologia mariana ad annum 576.

IN

IN PRIMO NOCTVRNO.

Domine Dominus noſter. pſal. 8.

Dei magnitudo, & demiſſio.

DVo admiratur Propheta. Primo magnitudinem Dei ex admirabilitate ſui nominis, & ex magnificentia à pueris cognita, & laudata, & à cælis manifeſtata: Secundò demiſſionem diuinæ magnificentiæ viſitantis per Incarnationem, generis humani pauperiem, eamque præcipuè in homine Deo, locupletantis corona gloriæ, & totius orbis imperio.

1. REx, hominumque ſator, nomen mirabile terris,
   Quod præfers, preſſo cogitat ore ſtupor.
2. Vis tua, vis magnorum opifex, quæ condidit orbem,
   Æthera pręgrediens fert ſuper aſtra caput.
3. Infans, & lactens (victus fremet hoſtis, & vltor)
   Obſequio laudis te meliore ferunt.
4. Qualis vbique nitor? cœlum, lunamque tuebor,
   Aſtraque, ſunt digitis quæ fabrefacta tuis.
5. Sed quid homo eſt, hominumq; genus, Rex ętheris? huius
   Es memor: hunc viſens laberis axe puer.
6. Vix minor eſt ſuperis: operum das iura tuorum:
   Hunc decus, & radians luce coronat honos.
7. Iura tenet: pedibuſque ſuis, ouiumque, boumque
   Armenta, & campi ſubijcis omne pecus.

8. Su-

8\. Subijcis & volucres fugientis in aera pennæ;
Subijcis & nantes per freta salsa greges.
9\. Quis, Rex summe, tuum neget admirabile nomen?
Fama præit, comes est gloria, terra stupet.

Cœli enarrant gloriam Dei. psal. 18.

Diuina lex cælo confertur, & præfertur.

COElo, noctu, diuque, linguis omnium, & vbiq; laudes Dei prædicanti, præcipuè solis aspectu pulchri vt sponsi, celeris vt gigantis, calore omnibus benefici, præponit diuinam Legem, immaculatam, fidelem, paruulos erudientem, lætificantem, illuminantem, sanctam, indeficientem, suoque testimonio iustam, pretiosiorem auro, dulciorem melle; cultoribus suis vtilissimam. Quare Dauid cupidus exactæ obseruantiæ legis, petit vt emundetur ab occulta culpa, & vt remoueantur ab ipso peruersi.

1\. PRædicat artificem cœlum: dextræque potentis,
Æther dum profert sydera, vulgat opus.
2\. Ipsa dies abitura diem, noxque æmula noctem
Erudit, alternum continuare melos.
3\. Fors aliquem male nota latet facundia cœli:
Omnibus en linguis cognita verba refert.
4\. Audiuere sonos & primus, & vltimus orbis,
Et quæ sub gelido vertice terra iacet.

5\. Sol

5. Sol fortem, pulchrumque canit: tentoria Regis
Explicat, vt sponsus prosilit è thalamo.
6. Vtque gigas celer exiluit decurrere cœlum,
Atque effert primos ex oriente gradus.
7. Summa, atque ima petit, rursusque accedit ad ortus:
Nec latet vlla sui terra caloris inops.
8. Testis fida boni, primæ sapientia vitæ,
Plus cœlis, animos lex sine labe rapis.
9. Lex iusti, rectique tenax das gaudia cordi:
Lucida fers oculis, exule nocte, diem.
10. Legis amans, sanctusque timor per sæcula viuet:
Lex veram, & iustam te sine teste probas:
11. Congestis melior gemmis, pretiosior auro,
Dulcior hybleis melle latente fauis.
12. Hinc tuus est famulus, legis, Rex optime, custos:
Custodita mihi larga profundit opes.
13. Fors tamen heù legum violo sacra iura tuarum!
Tergar: culpa facit fors aliena reum.
14. Si nullus nostra dominabitur impius aula;
Purus, & à summo crimine tutus ero.
15. Et nunquam metuent, quas ore, & corde reuoluo;
Te coram laudes non placuisse meæ.
16. Sis Dominus mihi largus opis, meus esto redemptor;
Vnica subsidij spes, & origo boni.

6. *à summo cœlo*, ab extremo cœlo, ab oriente. ex hebr.

Domini est terra. psal. 28.

Quid homines euehat in cœlum.

1. TErram Cœlipotens, orbemque replentia terræ,
Terricolasque sua sub ditione tenet.
2. Hic faber est mundi: subsidere flumina iussit,

Et

15. Cui limbi ex auro, varijque opulentia cultus,
Introrſum omne decus Filia Regis habet.
16. Quot lectæ comites, niueum magis omnibus agmen;
Ad Regem greſſus, hac præeunte, ferent?
17. Quo plauſu, iunctas propiori laude pudoris
Ducet, læta fremens, ad ſacra templa fragor:
18. Sponſa, patres obiere tui: ſed præficis orbi
Nutrita vberibus pignora cara tuis.
19. Inde ſecuturi nunquam, Rex, ſponſe, nepotes
Viuent oblito corde, vel ore, tui.
20. Sic te vrbes, populique canent, laudeſque manebunt:
Metas nec ponet laudibus vlla dies.

8. *Virga directionis*, ſceptrum rectiſſimum hebr.
10. *à domibus eburneis*, ab humanitate, eburnea domo Diuinitatis.

Deus noſter refugium. pſal. 45.

Pax, & libertas Eccleſiæ perculſis oppugnatoribus.

POſt pœnas impiorum perſequentium, nempe concuſſionem terræ, euulſionem montium, tempeſtates maris, & clades regnorum, fractis armis, & excuſſis bellis, erit tranquilliſſima pax, & ſecuritas Eccleſiæ, Ciuitati Dei, fruituræ torrente voluptatis; & immobili firmitate, vt hinc exaltetur Deus.

1. DVm Pater incurſant nobis, facto agmine, curæ;
Effugium es noſtris, auxiliumque malis.
2. Hinc ſumus impauidi, nutent ſeu pondera terræ,

Seu

Seu cautes medijs præcipitentur aquis.
3. Te quatiente graui tremuerunt murmure montes:
Insonuere nigris æquora fracta vadis.
4. Fluminis vnda tuam torrens circumsonat vrbem,
Et beat: hic sedes, hic tibi sacra domus:
5. Hanc medius trepidare vetas, primæque sub ortus
Lucis, opem Numen præsidiumque feres.
6. Intonuit Dominus: mota tellure cadentes
Cum regnis populi diriguere metu.
7. Nos præsens, belli præses Deus excipit vlnis:
Ne iugulet Iacob sors inimica genus.
8. Eia Dei pendas opus admirabile terris:
Bellorum toto dispulit orbe minas.
9. Pax franget galeas, atque arma, arcumque sonantem
Conteret, & flammis irrita scuta dabit.
10. Quisque vacet, populisque Deum, terrisque verendum
Me sciat: & celsa quis mihi sede locus.
11. Nos Deus, armorum præses recipitque, tegitque,
Ne iugulet Iacob sors inimica genus.

3. *aquæ eorum*, idest marium, quia legitur in hebræo; *transferentur montes in cor marium*.
7. *virtutum*, exercituum, bellorum.

Fundamenta eius. Psal. 86.

Ciuitatis Dei præconium.

ECclesia Ciuitas Dei laudatur vt firmissima in fundamentis, inexpugnabilis in portis, frequentissima Ciuibus, eisque iucundissima.

Omnes Dauidis psalmos latinis metris verterunt ex nostra Societate duo Ludouici, Crucius Olysipponensis, & Magnesius Parisinus. Prior id laboris susceperat Georgius Buchananus ex Leuinia Prouincia Scotiæ, bonus Poeta, sed pessimus Apostata: cui morituro cum præsens Caluinista suadere vellet orationem dominicam: has preces, dixit, non amplius memini, annos quadraginta neglectas, sed quas in Propertio didici, & diu noctuque cantaui, occurrunt linguæ: Cynthia prima suis miserum me cæpit ocellis; Hæc canens obijt, æternum eiulaturus. Biderman. acroama. 4. lib. 2. n. 67.

Aggressus & ego sum latina lingua metricam facere cantus hebræi partem, Deiparæ speciatim consecratam, adductus in spem, mea poetica paraphrasi posse fortassis occasionem præberi, qua pia iuuentus, præcipuè partheniјs sodalitijs adscripta, Sacræ poesis illecta dulcedine, manu, lingua, animoque Dauidem verset frequentius, & sic amore cœlestium, quo purpuratus vbique psaltes vritur, facilius incalescat. Nè verbosior tædium parerem, conatus sum constanter in elegis singulos quosque versiculos distichis complecti.



AD

AD MATVTINVM.

VENITE EXVLTEMVS. Psal. 94.

ARGVMENTVM.

Corde, ore, & opere laudandus est Deus.

DOminium Dei super Dæmones, terram, montes, & mare: Deique prouidentia, quæ nos pascit, vt oues sui gregis, nos excitant ad laudandum corde, ore, & opere tantum Regem. In corde sit exultatio: in ore iubilum, & confessio peccatorum: in opere adoratio, planctus, & obedientia diuinæ Legis, cuius pertinax transgressio Israelitis annos quadraginta peregrinantibus aditum in terram promissam interclusit.

PARAPHRASIS.

1. HVc moniti celerate gradus: ante ora Tonantis;
Quo nobis est empta salus, noua gaudia nostris
Exundent animis, tollantque ad sydera voces.
Et prius offensi quam Numinis ardeat ira,
Haud gemitu, & lacrymis pigeat commissa fateri:
Vt sua roranti mansuescant pectora luctu.
Ante etiam, croceo quam sol emittat ab ortu,

Pulsa

Pulſa nocte, diem, primos pia cura, Parentis
Occupet aſpectus; venerandas laudibus ędes
Compleat, & pſallens circumſonet ęthera plauſu.
2. Hic Dominus magno Deus implet numine terras,
Et cœlum: magnus Rex idem hominumque, Deumque;
Quos colis ignarus perituro thure Sacerdos.
Diues opum Dominus non plebis vota repellet.
Poſſidet eoas, primo quæ ſole rubeſcunt,
Occiduaſque plagas, geminoque ſub axe niuoſas,
Et luſtrat, ſua regna videns, altiſſima viſu,
Mons vbi prærupto conſurgit in aera dorſo,
Aerięque iugis irritant fulmina rupes.
3. Hunc penes arbitrium pelagi: tellure cauata
Incluſit fluctus, opifexque potentia dextræ,
Æquora complexas fundauit in aere terras.
Huc cœtus coeas: mecum prece Numen adores;
Quo ſatus: & coram ſcelus exitiale peroſus
Procumbas, largoque tumeſcant lumina fletu.
Felices Solymi! Dominuſque, Deuſque Sionis
Nos ducit Rex, & Paſtor, populumque, gregemque,
Inuitant riguis vbi pinguia paſcua campis:
4. Ad veſtras hodiè ſua vox ſi venerit aures,
Dum res ipſa ſinit, ne duri obſiſtite: cęco
Ceu rigeat ſub corde ſilex: nec auita ſequentes
Exempla Iſacidum, culpatos, diſcite mores.
Iſacidas plectens (inclamat ab ęthere Numen)
Exarſi, obſcuris deſerta per auia ſyluis.
Proh ſcelus! hic veſtri cępit, gens, ſanguinis author
Ambiguis hęrere animis, diffidere rebus,
Et vires tentare meas, dubiamque proterua
Explorare fidem; ſed quid mea numina poſſent
Ancipites docuit fida experientia veri,
Viſaque lux operum, per inhoſpita luſtra, meorum.
Decuſ-

5. His propè, dum furerem, decies, quater horrida bruma
Decussit nemori frondes: & perfida, dixi,
Pectora, perpetuo rudis, & temerarius error
Decipit: haud veros calles, mea iussa, sequuntur.
Tot scelerum vindex iuraui feruidus ira;
Non vobis, miseri, requies vbi certa laborum,
Felici dabitur vestigia ponere terra.

ANNOTATIONES.

1. Præoccupemus faciem, *idest iram ex hebræo: vel primo mane nos ante alios inferamus in templum ante conspectum Dei.*

5. Proximus *ad vlciscendum*: infensus; *ad hebr. c. 3.*

H Y M N V S.

Quem terra, Pontus, sydera.

1. QVem terra supplex, spumeas pontus minas
Frangens arena littoris,
Cœlumque iussum flammeis linguis loqui,
Placat, tremiscit, & canit,
Frugum potentem, fluctuumque, & sydcrum
Fert mater aluo pupulum.

2. Verum latentem matris aluo pupulum
Argenteus lunæ globus
Audit iubentem temporum vehens vices,
Solisque sydus aureum,
Et summa quidquid sphæra cingit ambitu.
Sub lucis ortum roscida

Ceu

Ceu concha eois innatans diues vadis :
Rorante cœlo largius ,
Tument renato plena partu viſcera.
3. O' ter , quaterque cęteris
Hac prole , mater , matribus beatior ;
Si manna cœlo depluum ,
Virgamque rubris imperantem fluctibus
Cęlabat arca fœderis ;
Mundum tenella qui manu claudit puer ,
Se ventre clauſus occulit .
4. O' ter beata ! lapſus ales ęthere
Tuum pudorem terruit ;
Sed flantis aura Spiritus fœcunditas
Integritate floruit :
Sic riſus orbis , ceù vitro ſolis iubar ,
Vuluæ receſſu prodijt .
5. Tibi , Parenti , Flaminique ſęculis
Silenda nullis gloria
Æuum per omne viuat , imbellis Deus
A' Matris aluo Virginis ,j

S. *Ambroſius creditur author huius hymni à Locrio in Maria Augusta l. 7. c. 5. Sed Breuiarium arelatenſe authorem notat S. Venantium Honoratum Fortunatum* , *Epiſcopum Pictauienſem*. Petrus Courcier Soc. Ieſu in cronologia mariana ad annum 576.

IN

IN PRIMO NOCTVRNO.

Domine Dominus noster. psal. 8.

Dei magnitudo, & demissio.

DVo admiratur Propheta. Primo magnitudinem Dei ex admirabilitate sui nominis, & ex magnificentia à pueris cognita, & laudata, & à cælis manifestata: Secundò demissionem diuinæ magnificentiæ visitantis per Incarnationem, generis humani pauperiem, eamque præcipuè in homine Deo, locupletantis corona gloriæ, & totius orbis imperio.

1. REx, hominumque sator, nomen mirabile terris,
   Quod præfers, presso cogitat ore stupor.
2. Vis tua, vis magnorum opifex, quæ condidit orbem,
   Æthera pregrediens fert super astra caput.
3. Infans, & lactens (victus fremet hostis, & vltor)
   Obsequio laudis te meliore ferunt.
4. Qualis vbique nitor? cœlum, lunamque tuebor,
   Astraque, sunt digitis quæ fabrefacta tuis.
5. Sed quid homo est, hominumq; genus, Rex ętheris? huius
   Es memor: hunc visens laberis axe puer.
6. Vix minor est superis: operum das iura tuorum:
   Hunc decus, & radians luce coronat honos.
7. Iura tenet: pedibusque suis, ouiumque, boumque
   Armenta, & campi subijcis omne pecus.

8. Su-

8. Subijcis & volucres fugientis in aera pennæ;
Subijcis & nantes per freta salsa greges.
9. Quis, Rex summe, tuum neget admirabile nomen?
Fama præit, comes est gloria, terra stupet.

Cœli enarrant gloriam Dei. psal. 18.

Diuina lex cælo confertur, & præfertur.

COElo, noctu, diuque, linguis omnium, & vbiq; laudes Dei prædicanti, præcipuè solis aspectu pulchri vt sponsi, celeris vt gigantis, calore omnibus benefici, præponit diuinam Legem, immaculatam, fidelem, paruulos erudientem, lætificantem, illuminantem, sanctam, indeficientem, suoque testimonio iustam, pretiosiorem auro, dulciorem melle; cultoribus suis vtilissimam. Quare Dauid cupidus exactæ obseruantiæ legis, petit vt emundetur ab occulta culpa, & vt remoueantur ab ipso peruersi.

1. PRædicat artificem cœlum: dextræque potentis,
Æther dum profert sydera, vulgat opus.
2. Ipsa dies abitura diem, noxque ęmula noctem
Erudit, alternum continuare melos.
3. Fors aliquem male nota latet facundia cœli:
Omnibus en linguis cognita verba refert.
4. Audiuere sonos & primus, & vltimus orbis,
Et quæ sub gelido vertice terra iacet.

5. Sol

5. Sol fortem, pulchrumque canit: tentoria Regis
Explicat, vt sponsus prosilit è thalamo.
6. Vtque gigas celer exiluit decurrere cœlum,
Atque effert primos ex oriente gradus.
7. Summa, atque ima petit, rursusque accedit ad ortus:
Nec latet vlla sui terra caloris inops.
8. Testis fida boni, primæ sapientia vitæ,
Plus cœlis, animos lex sine labe rapis.
9. Lex iusti, rectique tenax das gaudia cordi:
Lucida fers oculis, exule nocte, diem.
10. Legis amans, sanctusque timor per sæcula viuet:
Lex veram, & iustam te sine teste probas:
11. Congestis melior gemmis, pretiosior auro,
Dulcior hybleis melle latente fauis.
12. Hinc tuus est famulus, legis, Rex optime, custos:
Custodita mihi larga profundit opes.
13. Fors tamen heù legum violo sacra iura tuarum!
Tergat: culpa facit fors aliena reum.
14. Si nullus nostra dominabitur impius aula;
Purus, & à summo crimine tutus ero.
15. Et nunquam metuent, quas ore, & corde reuoluo,
Te coram laudes non placuisse meæ.
16. Sis Dominus mihi largus opis, meus esto redemptor;
Vnica subsidij spes, & origo boni.

6. *à summo cælo*, ab extremo cœlo, ab oriente. ex hebr.

Domini est terra. psal. 28.

Quid homines euehat in cœlum.

1. TErram Cœlipotens, orbemque replentia terræ,
Terricolasque sua sub ditione tenet.
2. Hic faber est mundi: subsidere flumina iussit,

Et

Et freta: ne sparsis terra lateret aquis.
3. Terricolæ, Domini quis scandet in ardua montis?
Cui dabit in sancto Gloria stare loco?
4. Qui quidquam haud fecit, voluitque proteruius ęquo:
Nunquam periurus, desidięque reus.
5. Largiter hunc donans, miseransque Salutifer orbis.
Summo sydereas annuet axe plagas.
6. Ista Dei sitiens, lustralibus orta sub vndis
Progenies faciem quærit anhela Dei.
7. Aligerum primi æternos attollite postes:
Rex cœli vt subeat, surgite spontè fores.
8. Quis nouus hic cœli Rex est? fortissimus heros,
Et morti, atque erebo pręlia ferre potens.
9. Aligerum primi ęternos attollite postes:
Rex cœli vt subeat, surgite sponte fores.
10. Quis nouus hic cœli Rex est? cito soluite vectes:
Virtutum Dominus regna paterna redit.
5. *benedictionem*, copiosa dona. Deus benedicit, dum benefacit.

IN SECVNDO NOCTVRNO.

Eructauit cor meum. psal. 44.

Epithalamium Christi, & Ecclesiæ.

PRæmittens Dauid se loqui afflatum diuino Spiritu laudat Sponsum pulchritudine, gratiaque loquendi, armata gladio, & sagittis. 2. Virtutibus animi, veritate, mansuetudine, & iustitia, diuineque, & regia potestate. 3. odoribus vestium.

Lau-

Laudat Sponsam. 1. varietate ornatus, & splendore vestium. 2. famulatu filiarum Tyri, Virginumq; comitatu. 3. fœcunditate prolis.

1. PRodit vox cordis, veluti bonus halitus oris,
Atque meum Regi vera fatetur opus.
2. Persimilis calamo, quem velox dextra fatigat
Scribentis, voces hæc mea linguá refert.
3. Pulchrior ante omnes, qualis tibi gratia fandi?
Qua tibi dona dedit non peritura Deus.
4. Nec tuus imbellis decor est, fortissime Regum:
Arma pares; cincto fulgeat ense femur.
5. I, noua bella moue, mortisque potentior arcu
Regnet amor, vincat forma, nitorque genæ.
6. Es verax, mitisque, & seruantissimus æqui:
Proh qualem pandet dux tua dextra viam!
7. Quas acuit species, in corda inimica sagittis
Instet agens: populi sub tua tela cadent.
8. Tu comes æternus regali in sede Parenti
Nate Deo, recti conscia sceptra geres.
9. Ante alios te lętitiæ Deus vnxit oliuo,
Qui scelus exosus, iuris amore cales.
10. Teque colunt natæ regum: myrrhaque madescit;
Et gutta, & casia vestis, eburna domus.
11. Aurata palla, varioque insignis amictu
En stetit ad dextrum regia Sponsa latus.
12. Audi nata, vide, pronam da iussibus aurem:
Et populi, & patriæ ne memor esto domus.
13. Tum Regem decor iste, tui Dominumque, Deumq;
Alliciet, Regem cui pia thura ferent:
14. Et tibi clara Tyros, tua supplex ora tueri,
Diues opum, Dominæ dona, precesque dabit.

15. Cui

15. Cui limbi ex auro, varijque opulentia cultus,
Introrſum omne decus Filia Regis habet.
16. Quot lectæ comites, niueum magis omnibus agmen;
Ad Regem greſſus, hac præeunte, ferent?
17. Quo plauſu, iunctas propiori laude pudori,
Ducet, læta fremens, ad ſacra templa fragor.
18. Sponſa, patres obiere tui: ſed præficis orbi
Nutrita vberibus pignora cara tuis.
19. Inde ſecuturi nunquam, Rex, ſponſe, nepotes
Viuent oblito corde, vel ore, tui.
20. Sic te vrbes, populique canent, laudeſque manebunt:
Metas nec ponet laudibus vlla dies.

8. *Virga directionis*, ſceptrum rectiſſimum hebr.
10. *à domibus eburneis*, ab humanitate, eburnea domo Diuinitatis.

Deus noſter refugium. pſal. 45.

Pax, & libertas Eccleſiæ perculſis oppugnatoribus.

POſt pœnas impiorum perſequentium, nempe concuſſionem terræ, euulſionem montium, tempeſtates maris, & clades regnorum, fractis armis, & excuſſis bellis, erit tranquilliſſima pax, & ſecuritas Eccleſiæ, Ciuitati Dei, fruituræ torrente voluptatis, & immobili firmitate, vt hinc exaltetur Deus.

1. DVm Pater incurſant nobis, facto agmine, curæ;
Effugium es noſtris, auxiliumque malis.
2. Hinc ſumus impauidi, nutent ſeu pondera terræ,

Seu

Seu cautes mediis præcipitentur aquis.
3. Te quatiente graui tremuerunt murmure montes:
Insonuere nigris æquora fracta vadis.
4. Fluminis vnda tuam torrens circumsonat vrbem,
Et beat: hic sedes, hic tibi sacra domus:
5. Hanc medius trepidare vetas, primæque sub ortus
Lucis, opem Numen præsidiumque feres.
6. Intonuit Dominus: mota tellure cadentes
Cum regnis populi diriguere metu.
7. Nos præsens, belli præses Deus excipit vlnis:
Ne iugulet Iacob sors inimica genus.
8. Eia Dei pendas opus admirabile terris:
Bellorum toto dispulit orbe minas.
9. Pax franget galeas, atque arma, arcumque sonantem
Conteret, & flammis irrita scuta dabit.
10. Quisque vacet, populisque Deum, terrisque verendum
Me sciat: & celsa quis mihi sede locus.
11. Nos Deus, armorum præses recipitque, tegitque,
Ne iugulet Iacob sors inimica genus.

3. *aquæ eorum*, idest marium, quia legitur in hebræo, *transferentur montes in cor marium*.
7. *virtutum*, exercituum, bellorum.

Fundamenta eius. Psal. 86.

Ciuitatis Dei præconium.

Ecclesia Ciuitas Dei laudatur vt firmissima in fundamentis, inexpugnabilis in portis, frequentissima Ciuibus, eisque iucundissima.

1. MOntibus in Sanctis, plusquam tentoria Iacob,
Portarum, Dominus, claustra Sionis amat.
2. Est Deus ista mihi de te præclara locutus,
Vrbis diuinæ nomen adepta Sion.
3. Non ego, quæ positis me scire fatebitur aris,
Immemor Ægypti, nec Babylonis ero.
4. Ecce Palestinus dominam successit in vrbem,
Et Tyrus, & populus decolor Æthyopum.
5. Quis referet Solymæ? Solymam qui condidit vrbem,
Est Dominus Solyma natus in vrbe puer.
6. Id referet Dominus, cum Iudex nomina vulgi,
Et procerum, Solymam qui coluere, leget.
7. His quibus est summa lętum dulcedine pectus,
Persimilis tuus est incola sacra Sion.

3. *Memor ero* in conscribendis ciuibus Sion.
3. *Raab*, Ægypti: ex hebr. & græc.
4. *alienigenæ*, palestini.
5. *Nunquid Sion*, idest Sioni dicet aliquis homo: homo qui natus est in ea, est eius fundator, & est Altissimus.

IN TERTIO NOCTVRNO.

Cantate Domino &c. Cantate. psal. 95.

Primus, & secundus aduentus Christi.

DVplex aduentus Christi, vt Redemptoris, & vt Iudicis omnes, & omnia, in omni terra, præsertim in templo, cum nationibus ad fidem conuersis, excitare debet assiduè ad cantus, & laudes

eius

eius nominis, datæ ſalutis, & dandæ mercedis. Id poſcit maieſtas Conditoris cœli, laudabilis, & terribilis, terram ſanctiſſimè corrigentis, & iuſtiſſimè iudicantis.

1. TEmpla ſilent! ſummo noua dicite carmina Regi:
 Increpet ac mutas vndique terra lyras.
2. Et canite, & Domini ſuper ęthera tollite nomen;
 Quam tulit, aſſidua eſt laude canenda ſalus.
3. Mira operum Solyme, Numenque, decuſque Tonantis
 Nunciet eois, heſperijſque plagis.
4. Iure ingens Dominus (vox omnis laudibus impar)
 Iure tremens cunctis eſt metus ille Deis.
5. Eſt ſator aſſidua rapti vertigine cœli:
 Sub terra, fictos nox habet ima Deos.
6. Laus, rectique nitor, coram, ſua templa frequentent;
 Et pietas, & quæ grandia facta mouet.



7. Stulte Deum cultor, venerabile nomen adora:
 Fac nulla huic deſit gloria, nullus honor.
8. Et tecum ſubeat, quæ mox cadat, hoſtia templum:
 Accipiantque tuas atria ſancta preces.
9. Numen adeſt: moueat præſentia Numinis vrbes.
 Dicite: regna tenet victor vbique necis.
10. Nam firmans dedit immotum, dum corrigit orbem,
 Omnibus, & iudex gentibus ęquus erit.
11. Cœlum, terra, ſalum, quod & innatat ęquora, plaudat:
 Exilient agri, quidquid & errat agris.
12. Exiliet nemus omne Deo: Deus incola terræ
 Axe venit: veniet iudicis ora ferens.
13. Reſpicient trepidi verax, iuſtumque tribunal;
 Voxque tonans, pœnas diuidet ęqua reis.

6. *Confessio*, laus, seù materia laudis.
Sanctificatione, Sanctuario. 1. Machab. 1.
7. *patria gentium*, familiæ gentilium: ex hebr.

Dominus regnauit. Psal. 96.

Iudicium iustis erit gaudio, impijs terrori.

SEuerissima Maiestas venturi Iudicis, in nubibus, igne præeunte, inter fulgura, clangentibus tubis, adorantibus angelis, terreat idololatras, non autem Sionem, filiasque Iudæ; hi potius gaudeant Christi potentia super impios, eiusdemque erga iustos custodia.

1. PSallat humus, psallant crebræ per cerula terræ;
Strinxit Bisgeniti regia sceptra manus.
2. Circum caligo, & nubes: correctio sedis
Adstat iustitiæ, iudicijque rigor.
3. Vltrices video coram præcedere flammas:
Spes pereunt: hostes circuit ignis edax.
4. Heu quot disrupto micuerunt fulgura cœlo!
Has vidit tellus, intremuitque minas.
5. Terrarum Domini vultu, quasi cera liquescens,
Fluxerunt lapsis ardua saxa iugis.
6. Iustitiam insonuit cœlum clangore tubarum,
Perculit & populos gloria visa throni.
7. Erroris pudeat, simulacra rigentia saxo
Qui colit, & tales iactat habere Deos.
8. Hunc colite aligeri: venturi conscia fati

Au-

Audijt hæc, vultu gaudia, fassa Sion.

9. Lętitiam reuocat Iudæ sibi filia cantu,
Iudicio spectans subdita regna tuo.

10. Nosceris hinc summus Regum, summusque Deorum,
Qui nunc te Dominum, nunc tua sceptra tremunt.

11. Arcet ab insonti Regis custodia sontem:
Regis amans, vita, cautius angue, scelus.

12. Candida lux animos hilarat, frontemque serenant
Gaudia, decurrunt cui sine labe dies.

13. Donatæ memores culpæ diffundite vultus
O' iusti: in laudes Numinis ora vacent.

5. *Domini omnis terra*: legendum est, omnis terræ ex hebr. & græc. Bellarmin.

13. *Sanctificationis*, qua sanctificauit remittendo peccata.

Cantate Domino, &c. Quia. Psal. 97.

DVplex ad nos descensus Dei mundum redimentis, & iudicantis, sit vbique iustis duplex argumentum lætitiæ.


1. QVis numeret! si tot lassant miracula visus;
Eia nouos Domino laude ciete sonos.

2. Parta salus mundo; tulit ęgris dextra medelam,
Vt sua sunt celsa brachia tensa trabe.

3. Erudijt populos Domini vox missa per orbem,
Quid fuerit veniæ, iustitiæque datum.

4. Nos miseraus, meminit quæ prisca receperat ætas
Promissa: haud proauis irrita verba dedit.

5. Quâ surgit, moriturque dies, vbi sibilat auster,



Et boreas, populis est ibi visa salus.

6. Cantus, & festas circumundique tollite voces:
Mestitiæ pulsa psallere nube iuuet.

7. Psallite: sint cytharæ, sint lenæ ad carmina chordæ,
Corneaque, & lento ductilis ære tuba.

8. Curæ absint. Deus ecce Deus. Mare plaudat, & orbis:
Plaudite quæ terras, quæque repletis aquas.

9. Mons plaudet, fluuiusque manu; Rex desilit astris,
Rex sub iudicium singula regna vocat.

10. Nil fallet iustæ diuina examina lancis:
Sceptra geret pietas, ignea vincla scelus.

2. *Sibi dextera*, sua dextera hebr.

7. *voce psalmi*, sonitu psalterij decem chordarum.

H Y M N V S

S. Ambrosij, & Augustini.

T E D E V M.

Laus, & confessio Trinitatis: laus, & preces ad Christum Regem gloriæ.

1. IMmotus qui cuncta moues, & fata gubernas,
Terræque, pelagique vices, celebramus vtrinque
Alterna te laude Deum, Dominumque fatemur.

2. Frigore ab arctoo, tepidum porrecta sub austrum,
Subque omni diffusa die, te lucis origo,
Ingenitum genitæ veneratur terra Parentem.

3. Aligerûm mentes, cœlique, omnisque potestas,

4. Et Cherubim, Seraphimque chori, modulanda per æuum

Iun-

Iungentes lituis, iungentes carmina neruis,
5. Ter Sanctum reſonant te formidabile Numen
6. Bellorum: tua Maieſtas, tua gloria, clamant,
Cœlumque, Terramque replet: nec terminat aſtris
Illa decus, longe ſpatium pręgreſſa locorum.
7. Biſſeni fidei proceres, doctuſque futuri
8. Sacrorum vatum numerus: denteſque ferarum
9. Experti, flammaſque, cruceſque, & mille cruentæ
Inſtrumenta necis, quos laus, & gloria cœlo
Extulit, & niueo circumdat lumine candor,
Te memorant, cœlique hilari clamore reſultant.
10. Sub mundi torrente plaga, zonaque ſub omni
Eccleſiæ tibi lingua vacat, laudeſque rependit,
11. Vnius ò Verbi mens fœcundiſſima partu,
Maieſtas immenſa, Pater: votiſque vocatur
12. Vnica, parque tibi, verax, venerandaque proles,
13. Atque vtriuſque fluens ab eodem Spiritus ore.
14. Chriſte decus cœli: nam te ſibi gloria Regem
15 Prædicat, æterni ſoboles ęterna Parentis,
16. Vt fieres veniæ, libertatiſque repertor,
Non fuit humanos horror tibi ſumere vultus,
Includique virum ieſſeæ Virginis aluo,
17. Et longas ibi ferre moras. tua membra ſepulchro
Golgotha detinuit: ſed te lux tertia vidit
Emerſum tenebris: vulnuſque habuiſſe medelam,
Quod fixit vano tibi mortis aculeus ictu.
Sydera tum ſcandens properaſti frangere vectes,
Cœlorumque aperire fores, vt peruius ęther
Exciperet poſt te, fidei vexilla ſecutos.
18. Velari haud patiens vbi Patris gloria vultum
Oſtendit ſuperis, Genitor conſidere dextro
19. Te voluit ſolio. * iudex hinc crederis orbi.
20. Venturus. * quare cum ſit ſumma poteſtas,

Quod

Quod petimus, famulis, quos ſanguinis vnda redemit,
Auxiliare tuis, pretium nec perde cruoris.
21. Fac etiam cœlo numeret nos gloria ſanctis
22. Et ciues, ſocioſque tuis. * authorque ſalutis
Sis populo: & quorum concederis optimus hęres,
23. Vſque foue, rege conſilijs, extolle iacentes,
Vllis hanc ſpatijs arctent, neque tempora curam.
24. Te canimus, data vita neci, via cognita vitæ,
25. Vlla vacat non laude dies, & nulla vacabit:
Atque tuum mittent in ſęcula, ſæcula nomen.
26. Hanc nobis largitor opis, largitor honeſti
27. Da culpæ ſine labe diem. * nos reſpice miti
Lumine, ſingultuſque animi clementior audi.
28. O' facilis inſtum viſis placare furorem
Fletibus, abducas, vt ſpes, concepimus, iram.
29. Non rubor æternum poterit mihi tingere vultus,
Nec mihi corda coquet: nam quæ te reſpicit vnum,
Nunquam fruſtrato mea ſpes cadet irrita voto

5. *Sabaoth*, exercituum.



AD LAVDES.

Dominus regnauit decorem. ps. 92.

Rex Regum Christus.

AD Patris dextram Christus Regibus omnibus præstat; 1. vestibus decoris, & fortitudinis terram firmantis: 2. æternitate originis: 3. potentia compescendi æstus fluminum, & maris, idest oppugnationes Ecclesiæ: 4. operatione mirabilium in testimonium fidei: 5. regia domo sanctitatis.

1. REgna tenet: decor & robur sunt purpura Regis:
   Lumine præcinxit non fugiente caput.
2. Terra suis etenim firmata est viribus, vlla
   Qua ruat, haud vnquam concutienda manu.
3. Quamuis Rex solio tunc primum insederis; omnes
   Es tamen irreducis temporis ante vices.
4. Fluminibus vincens ripas immugijt æstus,
   Spumeus illisis mugijt amnis aquis.
5. Quam multus fragor vndarum? dum sydera fluctus
   Verberat, & cano gurgite rauca fremit.
6. Se tollit mire pelagus: Deus increpat iras:
   Proh stupor! iratæ conticuistis aquæ.
7. Certa fides, quorum es testis: Rex, candida mores
   Vsque tuam pietas, hanc decet vsque domum.

à sæculo, ante sæcula; glossa interl.

Iubi-

Iubilate Deo. Psal. 99.

Creatori, Regi, & Pastori læta seruitus exhibenda.

1. NAturæ Domino notus, arctos, vesper, & ortus
   Pareat, & cantu, lætitiaque fremat.
2. Qua placidè ad nostros circumfert lumina fletus,
   Coram ferte hilares in sua templa gradus.
3. Hoc scite: hic Dominus colitur super æthera Numen;
   Non ipsi nos met finximus, inde sati.
4. Vos sua plebs, charique greges succedite sacris
   Ædibus, & laudes carmine ferte suas.
5. Carmine ferte Deum: dulcis, miseransque per æuum est,
   Inque omni seruans posteritate fidem.

Deus, Deus meus ad te. Psal. 62.

ORatio *Dauidis in deserto, Absalone persequente. Referuntur locus, tempus, ardor, & affectus* orationis *exauditæ, & prædicentis cladem impiorum: sed Christi, iustorumque felicitatem.*

1. VT cœlo videt alta Sion albescere lucem,
   Haud moror in sanctas euigilare preces.
2. O' Rex summe, tui hanc animam sitis vrit anhelam,
   Quanta tui hæc vrit terrea membra sitis?
3. Inuia lustro vagus, deserta, atque arida; præsens

Sed

Sed cordi eſt templum, viſque, tuumque decus.
4. Quod tua nos miſerans vita pretioſior omni
Sit pietas, noſtro te canet ore melos.
5. Te laudare iuuat, mihi dum mea viuitur ætas,
Teque vocans, tendam, Numen, ad aſtra manus.
6. Da fugiat macies animo, pallorque, ſituſque:
Gaudebo in laudes plurimus eſſe tuas.
7. Si memini te nocte cubans, te mente reuoluam
Sub lucem; tuleris cum mihi ſemper opem.
8. Subque tuis alis plaudam, tibi iunctus adhęſi:
In comitem traxit me tua dextra tuum.
9. Me fruſtra petiere dolis; tellure ſub ima,
Quo properant, prædæ vulpibus, enſe cadent.
10. Rex fruiture Deo, te iurans laude feretur;
Iam nequit obſtructum guttur iniqua loqui.

3. *Sancto*, Sanctuario, ſeu templo, quo feror cogitatione.
9. *vulpium*, dæmonum aſtutorum.

Deus miſereatur noſtri. Pſal. 66.

Deſiderium, & vaticinium naſcituri Saluatori.

1. EN miſeros! ſis ò largus, veniæque paratus,
Nos miſerans in nos prodeat ore iubar.
2. Vt tua, quam ſpondes, nobis vbicunque locorum,
Sit nota ad cœlum ſemita, nota ſalus.
3. In laudes populi ſua diſſona murmura linguæ,
In laudes certent erud jlſ tuas.
4. Læta canant vrbes; populis æquiſſime Iudex
Nos regis: implicitos ſoluite corde metus.
5. Vox populis laudum ſonet omnibus vna tuarum:
En fructum, cultus neſcia, terra dedit.

6. Nos

6. Nos ditet Pater & Soboles, ſpiratus, & ardor:
Hiſque metu ſupplex procidat omne genu.

Benedicite omnia opera.

Canticum trium puerorum. Daniel. 3.

1. AD noton, & borean, gemino ſub cardine mundi,
Subque euri, zephyrique domos, circumundiq; laudes
Artificis dextræ, tellus, mare, nubila, cœlum
Ingemines: & vbique ingrata ſilentia damnans
Reſponſes opus omne, quod olim eduxit in ortus
Ille parens rerum: nec parce fluentibus annis,
Laudibus aſſiduè ſuperaddere carmina laudis.
2. Aligeri vos eſte duces: teſtudinis aureę
Exercete fides plectris: orbeſque rotati
3. Cœlorum*, cœlos & quæ ſuper incubat vnda,
Et vires rerum, manſuras ſoluite laudes.
4. Plaudite dein choreas, mundo qui ducitis annum
Aureus & Titan, & phœbe, igneſque minores
Stellarum, ſero dum vos præit heſperus aſtro.
5. Imbres, & rores, & agentes nubila venti,
6. Igniſque, & flammæ, penetrabile frigus, & æſtus,
7. Ros, quibus & frutices algent, atque arua, pruinæ,
8. Et brumale gelu, & frigus, glacieſque, niueſque,
9. Noctes, atque dies, lux, vmbræ, fulgura, nubes,
Ilicet alternas miſcete per ęthera laudes.
10. Effuſi tellus, quam diuidit æquoris vnda,
Nec ceſſa in laudes, nec parce fluentibus annis,
Laudibus aſſiduè ſuperaddere carmina laudis.
11. Vos humiles cliui, ſublato ac vertice montes,

Vos, quæ fœta ſinu lactentia germina tellus
12. E lucat, & vitreis te fons argenteus vndis,
Fluminaque, pelaguſque, Dei præconia nunquam
13. Præterijſſe iuuet: ſcopuloſaque corpora, cete,
Atque procelloſi ſonet hæc gens humida ponti,
Et volucris, picta quæ verberat aera pennâ.
14. Vos etiam, quibus eſt immanſuetumque, ferumque
Ingenium, tygres, colubri, lybicæque leænæ,
Vna & mite pecus Domino date munera laudis.
Poſt hæc gens hominum ſacri modulamina cantus
15. Integret: Iſrael ne parce fluentibus annis,
Laudibus aſſidue ſuperaddere carmina laudis.
16. Tu vigili cura ſacris operate Sacerdos,
17. Numinis & famuli cœtus: Vos vulnera falcis
Qui paſſi, immunes ſcelerum: ſeruator honeſti,
Et recti cuſtos: cui non elata ſuperbis
Corda tument animis, dependite laudibus æuum.
18. Anania, Azaria, & Miſael labentibus annis
Laudibus aſſiduæ ſuperaddite carmina laudis;
19. Et Pater, & ſummo proles æquæua parenti,
Atque vna Patri, & ſoboli ſpirabilis ardor,
Perſonis diſcreta Trias, quibus vna voluntas,
Atque eadem natura, ac indiſtincta poteſtas,
Sit noſtrum ſine fine melos: nec pigra moretur
Segnities laudi ſuperaddere carmina laudis.
20. Quantus honos, nomenque tuum ſit maxime diuum
Nos monet accenſus flammis melioribus æther,
Et quam nos deceat ſæclis abeuntibus æuo,
Laudibus aſſiduæ ſuperaddere carmina laudis.



Lau-

Laudate Dominum de Cœlis. Pſ. 148.

Res omnes creatæ ad laudem Creatoris inuitantur.

1. ALtior aſtriferos Domini laus perſonet orbes:
Perſonet excelſas ingeminata plagas.
2. Aligeri, promptæque acies ad bella Tonantis
Æmula ſtellatis iungite plectra tubis.
3. Nec laudes ſileas ſol, lux, & candida phœbe:
Nec vos nocturnis aſtra ſilete choris.
4. Hunc ſummi celebrent, verſat quos turbine, cœli,
Et quas ære rigens ſuſtinet axis aquas.
5. Omnibus imperio, fœcundæ & ſemine vocis
Ille ortum, nihilo parturiente, dedit.
6. Et iubet æterno ne ledant ſecula lapſu,
Et iuſſa haud poterunt irrita ferre noti.
7. Ferte Deo laudes tellus, & monſtra profundi,
Et quæ captiuas claudis abyſſus aquas,
8. Ignis, nix, grando, & glacies, creberque, procellis
Spiritus, accelerant quæ data iuſſa ſequi.
9. Collis lene tumens, & mons, & fertilis arbos
Laudet, & intonſis cedrus odora comis.
10. Atque feræ, placidumque pecus, ſinuoſus, & anguis,
Et pennâ aereum quæ ſecat ales iter.
11. Laudent purpurei Reges, populique, duceſque,
Inuiſi, & trepidis iudicis ora reis.
12. Hunc iuuenes, laudentque ſenes, puerique, puellæque;
En ſublime decus nominis vnus habet:
13. Terriſque, & maior ſua gloria tollitur aſtris:
Et famam, & vires extulit iſte Sion.

14. Pſal-

14. Psallas Israele satus, gens sacra Tonanti,
Ad quem te pietas fert propriore gradu.
7. *Dracones* magni pisces. Euthym. Lyran. &c.

Cantate Domino &c. Laus eius. Psal. 149.

Celebrandus Deus ob collatos iustis honores.

1. QVis torpor? resides noua carmina soluite linguas,
Et Domino coetus, qui sine labe, canat.
2. Hoc vno, est Solymæ qui Rex, & originis author,
Plaudat amata Sion, Isacidumque genus.
3. Hoc resonet nomen concors discordia vocum,
Nabliaque, & docta tympana pulsa manu.
4. Huic Solymæ placuere suæ, collesque Sionis,
Efferet ac mites, est vbi tuta salus.
5. Nullæ concutient tranquilla cubilia curæ,
Gloria inocciduum qua vibrat ore diem.
6. Quæ celebrent Numen, iustis sunt gutture laudes,
Est gladij ancipitis luce corusca manus.
7. Ne pronas sceleri gentes patiantur inultas,
Prætereantque vrbes increpuisse minis.
8. Heu captiua premet Regum vestigia compes:
Impedient procerum ferrea vincla manus.
9. Vt sontes conscripta suo sententia voto
Plectat. qualis hic est iura daturus honor?

Laudate Dominum in Sanctis. Psal. 150.

Instrumentis musicis Magnitudo Dei deprædicanda.

1. PSallite, qui Sanctos habitat sua templa, Tonanti:
Psal-

Psallite, stellanti qui sedet arce potens.
2. Sunt Domino vires, magnumque per omnia Numen
Impar ne tenui reddite laude melos.
3. Sed lituum clangor, denis psalteria neruis,
Et tactæ resonent excita fila chelys.
4. Vos chorus, & memores date consona tympana laudes,
Atque ad facundas organa mota fides.
5. Vos dulci sonitu laudes date nuncia plausus
Cymbala: quodque aurą vesceris ęthérea:
5. *Spiritus* omne quod spirat, & viuit. ex hebr.

HYMNVS

O' Gloriosa Virginum.

Author est S. Ambrosius, vt vult Locrius.

1. PLagis serenis, ignibusque syderum
Sublimis inserens caput,
Mortalium præuecta rerum limites,
O' dux, decusque virginum,
Tuus pudico fotus in sinu Sator
Materna ducit vbera.
2. Æuæ nocentis quos rapina pauperat,
Vb rrimo cum fœnore,
Iessea fructu virga ditas aureo:
Cœlestibusque dimoues,
Vt exuli sint peruiæ, portis seras.
3. Candore lunæ pulchrior,
Tu clausa cæteris, sed vnico patens
Pupo Tonanti ianua,

Es

Es aula lucis, & noui ſolis domus.
Huc omnis Adami nepos:
Per Virginem profuſa vitæ pignora
Solute luctu, gaudeas.
4. Tibi, Parenti, Flaminique, ſæculis, &c.

BENEDICTVS.

Canticum Zachariæ.

In Circumciſione Ioannis.

1. ASſiduæ penſent mea muta ſilentia laudes
Numinis Iſacidum: regali ab ſede Parentis
Vnigena inuiſit terras, veniæque, ſuique
Prodigus, æterno damnatam carcere plebem
2. Exemit pœnis: * ſolymeaque gloria frontem
Erexit, viditque domus ieſſea ſalutem:
Sed non vna domus cecinit ieſſea ſalutem:
3. Vt circumfuſo ſuſpendit in aere terras
Mundi opifex, ſancti cecinere Oracula vates,
(Mentem implens veris ſic vatibus ora mouebat)
4. Venturum auxilio Regem, qui ſterneret hoſtes,
Et daret euaſiſſe manus ad aperta ruentis
Exitia, atque odio nocitura parantis iniquo.
5. Dicat io Solyme; vires rediere, decuſque;
Olli quod noſtrum ſedit miſereſcere patrum,
6. Seque datam meminiſſe fidem, iurataque Abramo
Fœdera; mira fides: placuit iurare daturum
Olim nos ſeros Abrami à ſtirpe nepotes,
7. Abſque metu, hoſtili gladio, manibuſque cruentis
8. Ereptos ſua iuſſa ſequi: * ſanctumque, piumque,

Ante ſuos vultus, maneat dum vita, tueri.
9. Et tu, qui patrias primis vagitibus aures
Mulces care puer, puer alme, vocabere vates
Numinis: huic Domino (voluere id fata) præibis
Ipſe parare vias, veniat modo fortior ætas.
10. Sic viſum: vt doceas cœlo veniſſe ſalutem,
Quæ tulit & ſceleri veniam, nobiſque Tonantem
11. Conciliat: ſummo ſunt mollia corda parenti.
Hinc viſit Solymen ſolis nouus ortus ab alto,
12. Vt clauſum tenebris, & quem circumuolat, atram
Mors oculis glomerans noctem, lux aurea nimbo
Dirigat, & certo ducat nos ſemita curſu,
Qua pax æternis domat impia bella catenis.

2. *Cornu*, gloriam, potentiam, ex hebr.
11. *Oriens*, ortus Solis: ex græco.

ANTIPHONÆ.

Aue Regina Cœlorum.

Apoſtoli morienti Deiparæ.

Pelbart. l. 10. Stel. p. 5. a. 1. ex Coſma.

1. AVe procul nitentium,
Quo ſpes anhelant, ſyderum,
Immuniumque corporis
Regina fœlix ciuium.
2. Salue beato germine
Inculta radix florida:
Salue diei nuncia,
Et porta lucis aurea.
3. O glorioſis clarior,

Pulchrisque gaude pulchrior;
Sic præstat hirtis vepribus
Rosæ nitor, vel lilij:

4. Vale decora crinibus,
Gressu, genis, & cyclade:
Nobisque placa Filium
Pudicus ardor cœlitum.

REGINA COELI.

C*Antus Gabrielis à Christo missi die Resurrectionis ad Matrem, à S. Gregorio, cui res reuelata, auctus quarto versiculo.* S. Vincentius Ferrer. Serm. 3. de Natiu. V. & Serm. 1. die Paschæ.

1. FLammas alentis ætheris
Regina, frontis nubila,
Et corda luctu saucia
Terge sereno gaudio.
Laudate Numen pendulæ
Librata terræ pondera.

2. Vallata ventrem lilijs
O digna mater Filio,
Qui nec pudori dedecus
Tulit, nec aluo pondera.
Laudate Numen cęrula,
Gregesque muti piscium.

3. Vt ore veri præscio

Potens futuri prodidit,
Caput ſepulcro fulgidum
Mortis peremptor extulit,
Laudate Numen nubila,
Vagique curſus ſyderum.
4. Nobis vt ille ſontibus
Ignoſcat, expugna prece:
Matris roget præſentia,
Matris perorent vbera.
Plectris, tubis, & cymbalis
Laudate Numen cœlites.
Alleluia, laudate Deum.

SALVE REGINA.

Antiphona.

Hermanni Contracti de Comitibus Veringenſibus Monachi S. Benedicti.

SAlue decoram compta biſſenis comam
Regina, gemmis ſyderum.
Tuis in vlnis pupulæ Clementiæ
Parens, & altrix nobilis.
Salue cruentam vita proculcans necem;
Dulcedo, ſpeſque cordium,
Peccantis Euæ filij plenos malis,
Atroſque ducimus dies.
Hinc ortus ingens luctus exulantium
Tuas ad aures obſtrepit:
Opemque noſtra vota mixta fletibus,
Suſpirijſque clamitant:
Quis flere ceſſet? vallis vda lacrymis

Cœlo

Cœlo repulsos detinet.
Patrocinatrix Diua, non obsint moræ,
Huc illa verte lumina,
Quibus serenas corda. tandem cum vagos
Nos meta sistet exules,
Fructum beati ventris ostendas Deum
O' lenis, ò mitissima,
O' mellis imbre, nectarisque dulcior,
Flectique prona planctibus.

ALMA REDEMPTORIS.

Antiphona eiusdem Hermanni.

Virgo, quam sibi legit ille matrem,
Qui venit pereuntium Redemptor:
Cœli ianua, flammeis pyropis
Postes fulgida, vectibusque nullis
Concessos aditus morans Olympi:
O' sydus maris, algido sub axe,
Ignaras pelagi monens carinas:
Virgo diues opis, potensque rerum,
Pronis exitio, ruentibusque
In præceps populis fauens adesto;
En dextram rogat omnis alleuantem;
Tu Bethleme parens tui parentis,
Naturæ stupor, integro pudore:
Cum flos decidat intumente fructu;
Flori non tulit vlla damna fructus.
Virgo, quam Gabriel, aue, salutat,
Pleno nuncius ore gratiarum:
Poscentes veniam, tuasque vires
Fœdos flagitijs reos tuere.

AD PRIMAM.

HYMNVS.

Memento rerum Conditor.

Locrius, & Poiræus hunc inter hymnos S. Ambrosij reponunt.

1. IN matris aluum lapsus è sinu Patris,
   Nostro luto simillimum
Te corpus induisse ne sis immemor
   Bis natus omnium sator.
2. Maria matrum, Virginumque gloria,
   Parens beata gratiæ,
Partuque diues vberis clementiæ,
   Nostris hiantes hostibus
Elide fauces: morsque nos vt demetet,
   Tuas in vlnas excipe.
3. Tibi, Patrique, Flaminique, sæculis
   Silenda nullis gloria
Æuum per omne viuat, imbellis Deus,
   A Matris aluo Virginis.

Deus in nomine tuo. Psal. 52.

Oratio Dauidis in deserto. Proditus à Ziphæis fugam Saulis exorat.

1. NOmen certa salus, tua iusta potentia, Numen,
Sit

Sit iudex: non est pœna timenda mihi.

2. Singultu quas rumpo preces placabilis audi:
Ne mea bellipotens irrita verba cadant.
3. Vincla mihi, cædemque parat me fortior hostis;
Nec spectat, trifido quæ rubet igne, manum.
4. Quid lacrymor? Deus ecce Deus: mihi militat æther:
Me pauidum tuto suscipit ille sinu.
5. Ne properes vindex consumere cladibus hostes:
Tantum pollicita disiice castra fuga.
6. Sacrificabo volens tibi Rex, fontisque bonorum
Rite tui laudes nominis inde canam.
7. Ereptus curis vidi de vertice montis,
Quos timui, trepidos vertere terga duces.

Benedixisti. Psal. 84.

Aduentus Messiæ prædicitur, oratur, impetratur.

1. FOEcundas pleno terram Deus vbere: Iacob
Erigit excusso libera colla iugo:
2. Et veniam, pacemque ferens clementia plebi,
Ne pœnæ properent, occulit omne nefas
3. Spes redit, abstergitque genas: tua mitior ira est:
Agnosco veteres detumuisse minas.
4. Nos profugos vertas ad te Deus arrha salutis,
Ponite placatæ tela trisulca manus.
5. Sęuiet æternum, serisue nepotibus ira
Serior immerget luctibus omne genus?
6. Vultus verte tuos, viso dabis ore salutem,
Et plebi tristes exhilarare metus.
7. Rumpe moras. nostri miserantem agnoscere visu
Detur, quique parat ferre salutis opem.

8. Lite

8. Lingua ſile; ſed cor, quæ det reſponſa precanti;
Audiat: hæc Solymis nuncia pacis erunt,
9. Et Sanctis, & quos pietas melioribus egit
Conſilijs, ſcelerum ſorde, referre pedem.
10. Cerne, timens Domini, non te procul eſſe ſalutem,
Vt noſtras habitet gloria miſſa plagas.
11. Se mitis rigido pietas tulit obuia vero,
Oſcula pax fixit mutua iuſtitiæ.
12. Facta parens veri terra eſt: conſpectaque cœlo
Iuſtitia irradians exeruiſſe caput.
13. Sydera miteſcent: ſpirante benignius aura,
Fructum, non iacto ſemine, terra dabit.
14. Iuſtitia exiliet, Regemque præibit euntem:
Vitæ ſic infans hac duce carpet iter.

1. *Benedixiſti*. futurum Prophetis tanquam præteritum.

Laudate Dominum omnes gentes. Pſal. 116.

Miſericordia, & Veracitas Dei ab omnibus collaudanda.

1. ORbis vterque Deum, qua Sol oriturque, caditque,
Facundo ſacris laudibus ore canas.
2. Inualuit Domini pietas, ineritque per æuum
Certa ſuis dictis, pollicitiſque fides.



AD

AD TERTIAM.

Ad Dominum cum tribularer. Psal. 119.

Queritur de linguæ dolis, & Exilio.

1. DVm mihi gementium
Cohors laborum pectus obsideret,
Has Deo tuli preces,
2. Et audijt. Rex, arbiterque Regum,
O' celer coerceas
Iniqua labra, subdolamque linguam.
3. Ferre quod miser queas
Lingua malum nocentius dolosa?
4. Mitius te læserint
Intorta tela fortibus lacertis,
Quæque adulta vis furit
Stridentis ignis acribus fauillis.
5. Hei mihi, quot anxiæ
Locis inhospitis moræ trahuntur?
Perculit me sordida
Sub rusticis tentorijs egestas,
Et ferocientibus
Diu pauens interfui sodalis,
6. Lenis inter asperos:
Et ipse siquem mitis alloquebar;
Impudens procacitas
Me iurgijs petebat immerentem.

5 *Cedar*, nigredinem, seu tabernacula nigra, & rustica: ex hebr.

Leua-

Leuaui oculos meos. Psal. 120.

Peregrinanti Ierusalem precatur auxilium Dei, vigilemque custodiam.

1. AD Solymos montes, mea lumina solis, & viarum,
Sitisque lassus, crebrius tetendi:
2. Auxiliumque illinc aderit mihi. tutor, & leuamen
Mihi parens telluris, ætherisque.
3. Non sinat ò nutare gradus, qui te vigil tuetur,
Suisque somnus palpebris recedat.
4. Sic est: nullum oculis admittet languidis soporem,
Hic Isaci custodiens nepotes.
5. Hic Dominus tuus est custos, vmbraculumque tutum,
Tua quod optes sustinere dextra.
6. Non, terras torrente die, te solis vret æstus,
Nec humidas lunæ iubar per vmbras.
7. Defendit Dominus tibi noxia, sospitique vitę
Defendat, oro, cæca tela sortis:
8. Introitusque tuos, egressusque, excubante seruet
Custodia, nunc, & sequens in æuum.

5. *Protectio*, clypeus, vel vmbraculum ex hebr.

ALIA PARAPHRASIS.

1. ERexi ad solymos, vultus, & lumina montes,
Illinc venturam spero salutis opem;
2. Illa mihi est rebus manus auxiliaris in arctis,
Quæ terræ est opifex, Æthereæque plagę.
3. Arceat à lapsû tuus ò vestigia custos,
Olli nec claudat lumina fessa sopor.
4. Ne trepida: solymæ custos sua lumina falli,
Nec tenui somno, nec grauiore sinet.

5. Est

5. Est clypeus dextræ: iaculis sonat irritus arcus:
Tutius haud triplici cingitur ære latus;
6 Vmbra velut capitis cancri tibi leniet æstus:
Nec lædet nocuo torrida luna gelù.
7 Te procul auertit Domini pia cura procellas:
Sitque animæ custos hæc quoque cura tuæ.
8 Æternum Dominus tutelam extendat in æuum,
Quá te ferre iuuet, quauè referre pedem.

Lætatus sum. Psal. 121.

Lætitia populi Dei reuersuri Babylone Ierusalem.

1. MIhi risu lacrymarum stetit imber,
Simul aures subiji: nos Babylone
Redeuntes sacra sistet Solymea domus arce;
2. Species nos reuocat nota Sionis:
Ibi portarum aditus, laxaque claustra
Pedibus nos pueri pressimus olim, Vrbs solymarũ: Vrbs
3. Solymarum, tua quæ diuidis omni
Bona ciui: his proceres, plebsque fruuntur;
Ea pax, tantus amor pectora iungit socialis.
4. Ad amatam pueri venimus vrbem:
Coit illuc genus omne Isacidarum;
Sacra lex Isacidem illuc vocat, vt Numen adoret.
5. Alia non solium constitit vrbe,
Daret vt iura; domus Dauidis hæres;
Neque raptum series indoleat longa nepotum.
6. Modo lætos iuuet omnes dare cantus,
Bona pacis rediturus roget vrbi,
Bona frugum roget ollis, patriæ, quos amor vrit.
7. Procul hostes opulenti comes anni
Tibi pax arceat: & mœnia bellis

Velit


Velit imperuia, rumpantque tuas horrea turres.

8. Solymi, quos amo fratres, animiſque
Mihi iuncti, tibi pacem petijſſe,
Tibi quæri bona iuſſit domus alto ſacra Regi.

3. *In idipſum*, ſimul, coniunctim, in idem ipſum bonum.
4. *Teſtimonium*, lex: iuxta legem datam Iſraeli.
5. *Sederunt*, quieuerunt, ſtabilitæ ſunt.
7. *Virtute*, muris ex S. Hieronymo.

ALIA PARAPRASIS.

1. LÆtitiæ fęcunda parens vox venit ad aures:
Sunt iterum nobis templa videnda Syon;
2. Nota mihi Solyme, nota eſt & forma locorum;
Hic portæ noſtros detinuere pedes.
3. Quæ bona ſunt procerum, ſunt hic communia plebi;
Felix, cui Solyma contigit vrbe locus.
4. Huc omnis Iudæa fluit, quam ſacra quot annis
Lex ciet, vt ſubeat limina celſa Dei.
5. Hic iura, hic Reges; proprium, videt ordine longo.
Dauid regali ſede ſedere genus:
6. Quiſque roga: ſit pax vrbi, ſit diues & auri,
Cui pectus patrij feruet amore ſoli.
6. Pax tibi circumeat muros, tibi diuite cornu
Copia laxet opes, ardua turre domus.
8. O' Solyma, ob fratres, & dulcia nomina, ciues,
Carminibus noſtris omina pacis habes:
9. Vtque tibi bene ſit: reduces Babylone precamur;
Ora mouet, Domini, quæ ſedet arce domus.



AD

AD SEXTAM.

Ad te leuaui oculos meos. Psal. 122.

Fatetur à Deo flagellari, veniamque poscit.

1. AD te Rex superum, sydere quem nobilis excipit
Cœli Sacra domus, sæpè tuli roscida lumina.
2. En qualis famulus suppliciter pallidus ad manum
3. Cædentis Domini: * vel famulæ qualiter ad manum
Cędentis Dominæ respiciunt: sic Sator omnium,
Donec tu lacrymas commiserans pectora mitiges,
Nos ad iusta tuæ respicimus verbera dexteræ;
4. Ignoscas miseris, & gemitus mitior audias.
Heù fastù nimio despicimur: vilius haud iacent
5. In campis stipulæ: * nos trahimur fabula diuitum,
Elatisque animo nos premimur, ceu pedibus lutum.

ALIA PARAPHRASIS.

1. ATtollens visus ad te Rex incola cœli
Ostendi madidas imbre cadente genas.
2. Vt famuli, & famulæ, dominis cędentibus illos,
Respiciunt rigidæ verbera iusta manus.
3. Sic, tua ni posito sit lenior ira flagello,
Hærebunt manibus lumina fixa tuis.
4. Mitescas, animi nimios miserate labores;
Plurima sunt nostris addita probra malis.
5. Quot facit insultans miseris conuicia diues?
Ludibrio tumidis, opprobrioque sumus.

Nisi

Nisi quia Dominus. Psal. 123.

Ope diuina tutus eripitur ausibus impiorum.

1. NI proteruorum Domitor benignis
Viribus nobis aderat; propinquo
(Dicat Israel) nisi constitisset
Numine custos.

2. Cum ferox in nos hominum procella
Surgeret latè, genus omne viuum
Forte deglutisset Abramidarum
Vortice gurges.

3. Cum neci pronas stimularet iras,
Et propè exundans furor ęstuaret,
Forsan absorptos niger obruisset
Turbine fluctus.

4. Voluit haud torrens animam sub vndis:
Turbidum nymbis superauit amnem;
Fors vadis impar, iacuisset imo
Mersa profundo.

5. Numini laudes Solymæ rependant:
Non tulit nobis hominum cruentos
Imprimi dentes, auidosque prædæ
Pascere morsus.

6. Aucupis casses anima en fefellit,
Captus vt passer laqueo, solutis
Qui fugit nodis, repetens opacæ
Frigora syluæ.

7. Quod plagis fracti cecidere nexus,
8 Orta libertas: * columen salutis
Est Sator cœli, Sator educantis
Germina terræ.

Qui

Qui confidunt in Domino. Psal. 124.

Immobilitas spem ponentis in Deo.

1. DEridet imbres, ac rabiem noti
   Syon pr cellis non patiens quati;
   Æquè ille, cuius spes recumbunt
   Impauidæ gremio Tonantis,
Pallente nunquam concutitur metù:
   Nunquam, beatam qui Solymen colit;
   Nutabit ex ussus, datura
   Præcipitem sonitum ruinà:
2. Tuto vt Sionem cingeret aggere,
   Natura solers montibus ambijt;
   Hic Rex suæ plebi est ahenum,
   Atque rigens adamante vallum;
3. Idque omne in æuum; quæ geris impius
   Nunc sceptra, longo seruitio haud prement,
   Et clade iustum; ne fidelem
   Forte ruat scelerate dextram.
4. Queis recta, lęsis nec rea legibus.
   Sunt corda, Numen præsidio veni:
   Illos inexhaustum reclusis
   Diuitijs opulentet aurum.
5. At tortuoso quem vitium gradu
   Ducit sequentem deuia, vindicis
   Supremi hic adductus tremiscet
   Cum Socijs scelerum, tribunal.
Tum pax sacratas per Solymen comas
   Nectens oliua, gaudia luctibus
   Opponet, ęterno serenans
   Placidum gemitus triumpho.

5. *Obligationes*, obliquitates, & tortuositates, quales sunt funis circumuoluentis lignum.

AD

AD NONAM.

In Conuertendo, Psal. 125.

GAudium reuertentis Israelis à captiuitate Babylonis comparatur gaudio messoris reuertentis ab vberi messe, & aridæ terræ australis, cum aquis irroratur.

1. CAptiuam reuocante Deo, Babylone, Sionem,
Siccarunt nostras gaudia tuta genas:
2. Oraque replebant longos mulcentia luctus
Carmina, & est dulces lingua locuta sonos:
3. Rerum questa vices Babylon, & territa monstris,
Multa stupens, Domini grande loquetur opus.
4. Est nobis magnorum operum Deus author, & addit
Lætitiam nostræ spem, comitemque viæ.
5. Fac Domine, vt patrias, hilares redeamus, ad arces;
Vstus vt irriguas excipit auster aquas.
6. Falce ferit gaudens, quibus impleat horrea, messes,
Tristia qui lacrymis, dum serit, ora rigat.
7. Dum peteret campos, iaceret dum semina, flebat,
Vrentes metuens anxia cura notos:
8. Sed repetit sua rura; seges cum flauet: onustusque,
Et lætus spicis deseret arua labor.

3. *Magnificauit facere*, magnificè egit. hebr.

Nisi Dominus. Psal. 126.

DEo non fauente nihil boni, non proles, non vrbs tuta, non vitæ necessaria; at omnia Deo fauente, prospera.

1. NI parens rerum genus, & nepotes,
Sanguinis custos dederit: negata
Coniuges frustra fieri laborant
Prole parentes.

2. Ni potens rerum miseratus vrbem,
Ciuium custos fuerit: per arces
Irritus miles vigilando fraudat
Lumina somno.

3. Vos, quibus panis vigilis doloris
Frangitur morsu, breue post quietis
Munus, heú vanus labor, ante lucis
Surgitis ortum.

4. Mittet vt pacem similem sopori,
Ecce dilectis noua dona diuûm
Per domos hæres, sobolesque, vitæ
Debita merces.

5. Liberi, patrum geniti iuuenta,
Munient patres, veluti sagittæ,
Quas manus curuo iaculatur arcu
Viribus audax.

6. O nimis felix, numerare prolem
Qui parem votis potuit; retundet
Hic loquens portis, coeunte turba,
Hostibus iras.

1. *Ædificauerit*, parauerit familiam, & posteritatem concessa prole.

prole. *Ianſen.* ex hebr.
3. *Surgite*, in hebr. & græc. ſurgere, poſtquam quieueritis:
5. *Excuſſorum*, iuuenum: ex hebr.

Beati omnes. Pſal. 127.

Timentis Deum felicitas in bonis proprijs, fruitione laborum, fœcunditate vxoris, educatione filiorum: boniſq; communibus, proſperitate vrbis, & nepotum, ac pace populi.

1. Beatus ille, qui Tonantis ob metum
Gradus coercet, ac negat,
Vbi proterua curſitat licentia,
Inambulare ſemitas.
2. Manus lucroſa quod labore congerit,
Eo vt fruaris, in dapes
Parabit: es beatus, & tibi bona
Perenne fonte diffluent.
3. Vt alta vitis, atque amicta pampino,
Botriſque onuſta palmites
Rubentibus, remotiore fertilis
Latebit vxor in domo;
4. Tuamque menſam, vt aſſidebis, ambiet
Corona liberûm patris
Decuſque, ſpeſque parua qualis in iugo
Oliua ſurgit vberi.
5. Tot ecce, tot feret recepta munera,
Vbi ter optimi patris
Tremiſcet aſperare corda crimine.

6. Su-

6. Supremus ille te beet,
Sion ab arce, vitæ, & Arbiter necis;
Amatæ & vrbis annuat
Videre, donec ipſe vixeris, bona,
7. Nepotibuſque diuites
Tuos in vrbe liberos, & his plagis
Serena pacis otia.

3. *Lateribus*, penetralibus. S. Hieronym. interiore domo.

AD VESPERAS.

Dixit Dominus Domino meo. Pſal. 109.

Chriſtus, Rex, Sacerdos, & Iudex.

1. HÆc Dominus Domino: ſceptri mi nate paterni
Aſſideas conſors, & mihi dexter ades.
2. Donec, te coram, me vindice, procidat hoſtis,
Suſtineantque tuos ſubdita colla pedes.
3. Prima feret tibi ſceptra Sion: dominare per hoſtes:
Sic volo: dent victas in tua vincla manus.
4. Te genui ex vtero, Sanctorum in luce, priorem
Lucifero, proprij roboris orte die.
5. Iurauit genitor; rata ſunt; ſine fine Sacerdos
Eſto: tui, ritus Melchiſedecis erunt.
6. Summe Pater: Reges, vltor dum ſuſcitat iras,
Contudit hic, dextra qui tibi ſede ſedet.
7. Complebit Iudex ſonitum clademq; ruinæ:
Tum multis ceruix quaſſa recumbet humi.
8. Viuet inops terris: bibet é torrente laborum;

Gloria, morte redux tollet ad astra caput.
4. *Principiū* vitæ mortalis, *die virtutis tuæ*, Incarnationis tuæ.

Laudate pueri Dominum. Psal. 112.

Dei nomen vbique laudandum.

1. TErrarum Dominum tollite laudibus,
Nomen vos pueri tollite Numinis,
2. Nunc, æuumque per omne
Lætis carminibus iuuet
Tam sancto assiduè psallere nomini.
3. Sic nomen Domini laude coli decet,
Mundo quá salis vnda
Claudit, quá reserat diem.
4. Ter celsus Dominus. conferat huic suum,
Se permensa, decus, corde tumentior
Maiestas: iacet imo
Huius sub pedibus gradu.
Sublimis Domini gloria vertice
Montes prægrediens nubila deserit,
Cœlumque, aligerosque
Tandem præterit altior.
5. Quis rerum Domino, quis similis Deo?
Cœli summa tenens Arbiter omnium
Huc telluris ad ima
Miti lumine respicit:
6. Et dignatur humo tollere pauperem,
7. Educitque inopem sordibus, vt locet
Sublimemque, suique
Regni principibus parem;
8. Ac spretæ sterilis viscera pondere
Fœcundat sobolis: plurima liberûm
Caram

Caram turba parentem,
Totamque exhilarat domum.

5. *Calo* refertur ad *in altis habitat. terra* ad *humilia respicit.*

Lauda Ierusalem. Psal. 147.

Populus Dei laudet Deum.

1. *Ob datam securitatem, & abundantiam.*
2. *Ob prouidentiam communem omnibus, & specialem sibi.*

1. O' fęlix Solyme, ò parens
Pulchra prole Sion, ne tacitam manus
Exsoluens humero lyram
In laudes Domini torpeat, ac tui
In pręconia Numinis.

2. Vis vt nulla mali, neu metus hostium
Irrumpat tua mœnia,
Æterno calybis robore muniit,
Ne cedant aditum seras:
Ciues innumeris & cumulat bonis;

3. Mitemque assiduè iubet
Pacem arcere tuis prælia finibus;
Ad quos excubias agit.
Hinc frugum stabilis copia, diuiti
Messes ventilat area,
Ne turpem stimulet pauperiem fames;

4. Vt rerum Dominus iubet,
Euris, & zephyro labitur ocyus
Terris imperium potens,
Vllas nec patitur iusso operi moras;

5. Si brumam glacialibus
Arctoi boreæ ſedibus euocet,
Vt vellus glomerat niues,
Atque atræ nebulæ, ceu cineres cadunt,
6. Et durans glacies refert
Bucellæ ſpeciem: tam penetrabili
Quis non obrigeat gelú?
7. At rurſum iubeat: diffugiunt niues,
Tabeſcit glacies, iugis
Humor flante noto liquitur, amnibus
Aucturus tumidis minas.
8. Per vates etiam, quæ fieri velit,
Vos Iacobidas erudit:
Et quas legitimi iudicium fori,
Seu cultus ſacer exigat,
Iſraela ſuis legibus imbuit:
9. Non ciues, alios tuis,
Tot, diues Solyme, muneribus frui
Indulſit ſuperum Sator,
Nec leges docuit, quas didicit Sion.

6. *Chryſtallum*, glaciem. ex heb. inſtar fragmenti panis, gelata paruis in ſcrobibus aqua.

8. *Iuſtitias*, ceremonialia, pertinentia ad templum; *iudicia*, iudicialia pertinentia ad forum.

HYMNVS S. BERNARDI.

Aue maris ſtella.

1. AVe niuoſi Sydus immotum poli,
Te, vaſta findens cęrula,
Rudis viarum, cauta pinus conſulit:

Parens

Parens Tonantis, lilium
Cui ſemper halans, tabe nulla ſorduit.
Stellantis aulæ ianua
Patens recluſis, diues auro, poſtibus,
Spes oſcitantes excitas.
2. Aue, beatus inquit olim nuncius
Ingreſſus ædes Gabriel:
Sis larga tutæ pacis, in recens Aue
Dum nomen Euæ vertitur,
Matriſque luctum nata riſu corrigis.
3. Exolue vinctis compedes,
Clauſumque cęcis profer ex vmbris iubar;
Roga; precum potentiæ
Lues malorum cedat, & pleno bona
Ad nos recurſent agmine.
4. Quæ te repulſa flagitantem ſummouet?
Non vana matris nomina
Dedit recepta carne mortalis Deus:
Hæc iura matris exere,
Largoque ſparſas imbre, quas ſpectat, preces,
Non aure ſurdá reſpuat.
Bethlemis algens natus hic nobis ſpecu,
Se millies faſſus tuum,
Reddebat ori dulcis infans oſcula.
5. O' Virgo luce purior
Mitiſſimaque ſemper agna mitior,
Culpæ ſolutos nexibus
Nos incaleſcens ira non exaſperet,
Nec vlla ſordes polluat,
6 Candore vita vincat arctoas niues,
Et calle tuto ſemita,
Ne fallat error, inſtruat cautè gradus;
Demum fruamur filio

Feſ

Feissi viarum, sanet & luctus suo
Quies beata gaudio.
7. Patri, Patrisque mente parto fœtui,
Spirabilique Numini
Cor prome dona laudis, vt tamen trium
Honor sit vnus omnium.

Magnificat.

Canticum Mariæ.

1. DAt laudes, quas lingua nequit, facundia cordis,
Dum fœcunda meo Numen adoro sinu.
2. Exiluit, fruiturque Deo sponsore salutis
Spiritus: hic mea spes, hic & amata quies.
3. Quod cœlo tulit ad famulam demittere visus,
En omni posthac ore beata ferar.
4. Magna potest, sanctumque tenet per sæcula nomen,
Hinc decus, hinc magnas discite matris opes.
5 Hunc metuens, longo miserantem sentiet æuo,
A primo ad serum posteritate genus.
6. Quam iustum, fortemque manú sensere superbi?
Horum dispersit, votaque, spesque notis.
7. Euexitque humiles, deuoluens sede potentes:
Ambitio in præceps lubrica stare nequit.
8. Applicuit lautis inopum ieiunia mensis,
Exclususque epulis diues, inanis abit.
9. Pollicitique memor puerum Israela iacentem
Suscepit miserans, eripuitque neci.
10. Vt nostros docuit proauos, iurauerat olim
Hæc Abrahæ, & stirpi tempus in omne suæ.

AD

AD COMPLETORIVM.

Sæpè expugnauerunt. Psal. 128.

Calamitas persecutorum Christi, & Ecclesiæ.

1. SÆpè me contra teneris ab annis:
Dicat Israel, ruit acer hostis:
2. Sæpè constractæ iacuere vanis
Ausibus iræ:
3. Hæc super flagris inarata terga;
Quod scelus struxit, graue pondus hæsit:
Nec modum cæco posuit nocendi
Culpa furori.
4. Dira sed ceruix ferientis ictum
Vindicis sensit; caleat pudore,
Pulsus & cedat retrò, qui Sionis
Oderat arcem:
5. Ille sit fœno similis, domorum
Quod viret tecto: prius aret æstu,
Quam timet velli, licet haud morentur
Segnius imbres.
6. Non manum messor, telegens maniplos
7. Non sinum complet: * bene sit, viator
Subticet: stultis bona non precatus
Gaudia votis

1. *Expugnauerunt*, conati sunt expugnare: ex hebr.
3. *Fabricauerunt*; arauerunt hebr.
Prolongauerunt, imponendo etiam crucem meo dorso, *Carthus.*

De

De profundis. Psal. 129.

ORat veniam peccatorum motus Dei misericordià benignisque promissionibus.

1. REgnator superúm, meus hic de vallibus imis
Ingeminat clamor. Deus exorabilis esto,
2. Nec refuge ad nostras aures intendere voces.
3. Si scripta ò Iudex in idonea tempora serues
Commissa, ad pœnas iratus vt ista reposcas,
Quis feret, attonitoque metú non corruet excors?
4. At tua quod nostris, ò Rex, ardentior irá
Mitescat lacrymis, & te, si noxia culpam
Corda gemant, tua lex doceat non sumere pœnas
5. Hinc spes certa mihi: * melius confidere rebus
Hæc sua me promissa iubent; mihi semper inhęsit
Spes veniæ, memori quam sit placabile Numen.
6. Israel igitur, vigilans custodia muros
Dum seruat solymos, primi sub lumina solis,
Huc donec reuocent præitura crepuscula noctem,
Tam placido fidens Domino spem fronte serenet:
7. Hunc nostri miseret. Sibi quo captiua resoluat
Stirps Adæ, ceruice iugum, numerabile nulli
8. Hunc penes est pretium: * id soluet, redimetq; nocentem
Israela, neci insultans, scelus abluet omne,
Restituetque decus profusi sanguinis vnda.

3. *Obseruaueris*, custodietis scriptas. hebr.




Domi-

Domine non eſt exaltatum. Pſal. 130.

Fatetur odiſſe ſuperbiam.

1. NOn me Cœlipotens animos efferre coegit,
Nec dedit ambitio grande ſupercilium.
2. Haud rebar, iactans, maioraque viribus audens,
Quæque meum, famulo vertice, ferre pedem.
3. Proſpera ſi vidit vultu, inceſſuque ſuperbum
Fortuna, & mentem, vana tumere, meam:
4. Vt gremio pupus, cui iam neget vbera mater,
Plorem, quo nutris gaudia, lactis inops.
5. Abrhamo geniti, Domino ſpes credite veſtras:
Donec lenta trahet ſæcula ſolis iter.



Nunc dimittis.

Canticum Simeonis.

1. NVnc Rex dimittis famulum: nec abire recuſat;
Vera fides dictis: oſcula pacis habet.
2. 3. Eſt oculis mihi viſa ſalus. * aſpectibus orbis
Hanc offers, cunctis, vt medeare malis.
4. Lumen ades: cedent, velamen gentibus vmbræ;
Iſraelis ades, pupule, plebis honor.



LACRYMÆ DAVIDIS,

SEV

PSALMI POENITENTIALES:

SOLITI PSALTERIO VIRGINIS ADNECTI.

Additus est etiam Psalmus de Passione Domini, cui niti debet spes veniæ.

Domine ne in furore. Psal. 6.

Peccatoris Oratio.

Dei furore conterriti, lacrymisque pacem flagitantis, & impetrantis.

1. DVm furor extimulat, ne me Deus argue sontem;
Corripe, nec pœnis, pœnas dum suggerit ira.
2. Spes hominum miseresce mei; decumbere morbus
Imperat, affer opem, placidusque medere iacenti,
Et tabe exuctis, emota per ossa, medullis.
3. Affer opem. visam mea mens turbata malorum
Horruit ad faciem; quo te feret vsque morantem?
4. Auersi post terga gemo; da cernere vultus,
Qui moneant cessisse minas. trux imminet hostis,
Eripe me, stygio rapiat ne præda tyranno:
Hortetur tua te pietas donare salutem,
Ne premat æternis blasphemi carceris vmbris.
5. Mors vbi victuro miscet nigra tartara luctu,
Manes perpetua cęcæ caligine noctes
Immemores fecere tui. quis dite sub imo
Inter sulphureos te laudibus efferet ignes?
6. Iamdudum lassor gemitu, nec planctibus vnquam
Vlla quies dabitur; vigiles traducere noctes
Fert animus, lacrymisque nefas detergere lecti,
Dum rorent tepido mihi strata madentia riuo.
7. Admissum furor in facinus mea lumina fletu
Turbauit, turbantque metus: mea serior ætas
Non vnquam domitos tremit anxia cominus hostes.
8. At comites, prodit quos noxia crimine dextra,
Hinc procul este, meis procul hinc abscedite tectis.

Vo-

Vocales etenim lacrymæ, fletuſque diſerti
9. Euicere: meaſque preces dominator olympi
Audijt, & facili ſingultibus annuit aure.
10. O vtinam horrerent hoſtes, ſcelerumque puderet:
Ad te vtinam vellent, cui terga dedere, reuerti,
Hiſque rubor ſupplex ſuccenderet ilicet ora


Beati quorum. Pſal. 31.

FOElicitas iuſti ex innocentia, vel pænitentia, qua motus ad confitendam culpam, obtinuit veniam.

1. FOElix, cui parcens, libratum fulmen, ab aure
Demiſit ſine cæde manus, pacemque reduxit.
Cui miſero, cum iam ferret tabemque, necemque,
Obduxit Dominus, veniæ medicamine, vulnus.
2. Fœlix; quem iudex non arguit ira nocentem!
Cui mens non fuerit, non lingua obnoxia fraudi.
3. Stultus ego veteris tacui contagia noxæ;
Inde meus, roſeum fugiunt dum ſydera cœlum,
Dum redeunt, longis luctus clamoribus aulam
Terruit, & ſenium vitiata per oſſa cucurrit.
4. Noctes, atque dies tua me vindicta merentem
Plectebat grauiore manu, nec crimina flebam,
Ad te reſpexi, fixis ceu ſentibus æger,
Conſcia dum facti foderent mea pectora curæ.
5. Excuſaſſe nefas puduit, latebriſque retectis
Iniuſti volui te crimina noſſe furoris.
6 Et dixi: Domino me ſingultante fatebor
Voce reum ſceleris, ſed tu placabile Numen

Ad

Ad cordis gemitus veniam, pacemque dedisti.
7. His monitus, niuei cui sunt sine crimine mores,
Ad te, dum planctus hominum mitissimus audis,
8. Vota feret: * summus sed cum labor ingruet orbi,
Pœnarumque atras tellurem effundet in vndas
Diluuio miscens, Domino se iungere segnes
Hos niger illidet spumoso in gurgite vortex.
9. Ad te confugio; circum latus obsidet omne
Cura timens cędis: mea spes, mea gaudia, tutor,
Host premor, pressi iugulum citus eripe ferro.
10 Solue metus: vox ista meas allabitur aures:
Iam noua lux ierit menti, tutissimus ibis
Me monstrante vias; adero vigil vndique custos;
Nunquam fida tuo declinans lumina vultu.
11. Hæc ait: ò igitur puros hinc discite mores,
Nec male suada sibi fallat parere voluptas;
Ne dementis equi, aut muli, quos nescia recti
Vis trahit, alliciant sordes exempla ferarum.
12. At tibi, summe Deûm, siquis comes ire recuset,
Frępis, & presso contundas ora capistro.
13. Multa manent sontes iusto incutienda flagello
Verbera. ei Genitor, cui spes est vna salutis,
Commiserans questus, dabit vltro brachia circum,
Vt quos insonuit vindex furor, exeat ictus.
14. Exiliat tua, iuste, Dei de fontibus hausta
Lætitia, & rectum recto sit gloria cordi.
2. *Spiritu*, animo, vel spiritu oris, seu verbis. hebr.



Domine ne in furore. Psal. 37.


ABsalone persequente patientia Dauidis, & metus de summo suorum scelerum vindice.

1. NE Pater vltrices de me precor exige pœnas,
Quas furor, impatiensque moræ tua destinat ira.
2. Eheu quam validis curuasti viribus arcum?
In me lentatus traiecit corda sagittis,
Et super ipse grauem pressisti ad vulnera dextram.
3. Sanguis hebet, fractæ tabescunt corpore vires,
Quod furis: & memorem terrent dum crimina mentem,
Ossa metus quatiunt, nec pax datur vlla dolori.
4. Illuuie scelerum, piceo ceu gurgite, sensi
Submersum latuisse caput: mihi pressa, gemensque
Succubuit, vasto veluti sub pondere, ceruix.
5. Desipui demens; medicam tum corde sub imo
Plaga recens non sensit opem; corrupta latenti
Vulnere computruit non rite obducta cicatrix.
6 Heù miser: haud poteram nimia sub mole malorum,
Curuusque in terras ad sydera tollere vultus:
Hosque abiens, rediensque mihi nox humida tristes
Persensit, quocumque gemens vestigia ferrem.
7. Prisca queror; sed adhuc lumbos mala semina flammæ,
Exurunt, fœdaque illudor imagine mentem:
Atque lues, totisque herens vis tabida membris
8. Ad vetita extimulat sensus.* dolor ista tuentem
Spineus inuasit, morsuque miserrima cura,
Immodicusque pudor: perculsaque pectora questum
Erupere grauem; talis per inhospita syluæ

Effera

Effera rugitu fixi gemit ira leonis.
9. Quo lacrimæ, & queruli tendant suspiria cordis,
Quo votis, gemituque ferar, tibi cognita, Numen.
10. Prædati pacem cor turbauere tumultus,
Aufugitque vigor membris, oculosque reliquit
Lumen, & obscuris nox obruit atra tenebris.
11. Fœdere amicitiæ, cognato & sanguine iunctus
Accessit, pauidumque minax circumstetit armis:
12. Et cum vim ferret, quærens effundere dextra
Hanc animam, comites mihi nullo milite cinctum
13. Deseruere latus. * probra ille, & vana locutus
Consilia, exitiumque parans, sub pectore voluit
Nocte, dieque dolos, sesque per omnia vertit.
14. At surda obstreperis tum se mea præbuit auris
Hostibus, & nullæ laxarunt ora querelæ.
15. Sic ego probra tuli, quasi nec conuicia possem,
Nec viro infectas audire, & reddere voces.
16. Et quia te fretus fractis confidere rebus
Constitui, dubio non spes gemet anxia voto.
17. Tunc dixi; irata non voce silentia rumpam,
Probra probris reddens, fidam ne deneget vlto
Numen opem, & victor mea funera gaudeat hostis.
Hic, titubante gradu mihi dum vestigia nutant,
Et præceps in praua ruo, dira omina sparsit,
Decidui iactans instare pericula sceptri.
18. Tum silui, & meritis modo terga parata flagellis
Denudo; mentem fugiunt obliuia culpæ,
Et pœnæ ante oculos mihi semper oberrat imago.
19. Nosco nefas, fateorque, meo sub corde volutans,
Quæ iubeas tantæ soluenda piacula noxæ.
20. Verum cœlipotens, dum fletibus ora madescunt,
En hostis sospes, numeroque, & viribus auctus,

Me contrà insurgens, odijsque infensus iniquis
Successu exultat, postquam mihi fœdere rupto,
21. Iurgia pro meritis, inopinaque damna rependit,
Ausus, quod rectum sequerer, me carpere dictis.
22. Ne te proripias, ne te mihi subtrahe Numen:
23. Firmam defer opem, mea spes, mea causa salutis.
6. *Vsque in finem*, nimis. S. Hieronym.



Miserere mei Deus. Psal. 50.

A Nathan correptus diuinam sibi clementiam multis rationibus efflagitat.

1. QVos lacrymor, casus tangant tua pectora, Numen,
Et gemitus miseresce mei; miseresce precantis,
Ærumnæ, curisque modum; tua supplice planctu
2. Ingens perfruitur pietas. * hæc sępe malorum
Assultus miserata graues, modo ponere fulmen
Suadeat, atque luem, qua noxia crimina mentem
Turpauere meam, cœlestibus abluat vndis,
3. Abluat, atque iterum tergat mihi gurgite sordes.
4. Nosco dolens furiale nefas, quod pectore nunquam
Labitur, & longo discerpit viscera morsu.
5. Nosco meum, demens non excusabile crimen,
Iudice te, sunt ista tibi bene cognita visu;
Te fateor iustum iustis sermonibus ausus
Increpuisse meos: vt, si te iudicet olim,
Has trepidet culpare tuas blasphemia voces.
6. Lęse Pater, meritam fletus tibi mitiget iram:
Me nosti, primæ quod ductum ab origine gentis

Non

Non peperit sine labe parens: hinc cerea flecti
In sordes est vita recens, est firmior ætas.
7. Vera loquor, cui vera placent, atque oblita fucis
Dum vito, pandis mihi fata, aperisque futura.
8. Audior. hyssopi lustrali aspergine tergar,
Candidior niuibus, cum me tua lauerit vnda.
9. Gaudia, lætitiamque ferens mihi nuncia pacis
Vox tua descendet: viresque in membra reductas
Defendent pulsis ossa exultantia curis.
10. Ius sceleri pudet esse datum; tua lumina, Numen,
Flagitijs deflecte meis, maculasque morantes
Æthere demisso purget tua dextera riuo.
11. Tu mihi per illuuies, mea lux, cor finge columbis,
Atque nouos recti mihi spiritus excitet ignes.
12. Flectere: meque tuo nunquam procul excute vultu,
Nec reuoces sanctam, quæ spirat amabilis, auram.
13. Est mihi parta salus, duce te, mihi gaudia redde,
Et me nutantem maiori Numine firma,
14. Ne posthac in praua ferar. * tum fœda sequentes
Erudiam, referentque gradum, veniamque reposcent.
15. Cęde tepescit humus: sim liber sanguine multo
Accusante nefas; mea spes, & origo salutis,
Ne spectes trifidam clamantia vulnera flammam:
Te iustum mea lingua canet, ceu nectaris haustu
* Sparsa, tuis meritis veniam meruisse fatebor;
16. Labra mihi exsolues: plectenda silentia iurgans
Implebit tunc ora melos meditantia laudes.
17. Victimaque inflicta caderet percussa bipenni,
Si malles; sed nec toto grege mollior hœdus,
Exustique iuuant rigida ceruice iuuenci.
18. His præstat, curis qui pectore saucius imo
Spiritus, internæ metitur damna ruinæ:

Cons

Contriti hæc, humilisque tibi placet hostia cordis.
19. Fac mites animos in me, mentemque benignam
Experiar, facilis, largusque ignoscere flenti;
Et miserefce Sion, quæ singultantia fundens
Vota, rogat solymis vt diruta mœnia surgant.
20. Iustitia mactante tuas procumbet in ędes
Victima; tum Syrio donaria fulua metallo
Suspendam templis: hic sentiet hostia flammas,
Et vitulus, querulis à matribus, imbuet aras.

4. *Contra me*, coram; vel aduersus me.
5. *Tibi soli*, vt iudici non decipiendo excusationibus.
Iustificeris, iustus agnoscaris in obiurgationibus per Nathan factis, & victor, seu irreprehensibilis sis, cum impij iudicant opera tua.
15. *Sanguinibus*, multo sanguine Vriæ iniuste occisi.

Domine exaudi. Psal. 101.

Rogat vt exaudiantur suæ preces; preces mortalis ab immortali, preces miseri à summe misericordi, nouam Ecclesiam in laudem sui nominis excitaturo.

1. NE pereant, quas fundo, preces; cœlique, marisque,
Terrarumque Sator: mea vox te præpete penna,
Te meus accedat super ardua sydera clamor.
2. Ne vultus auerte tuos; scio fœda petosos
Crimina; sed scelerum quoties dolor anxia findit
Corda, tuam pietas ploratibus applicet aurem:
3. Et quoties supplex poscam tua numina; flenti
Ilicet indulge, clamosaque vota serena.

4. Heu

4. Heu mihi, ceu tenues abit ater fumus in auras,
Defecere dies, atque ossibus arida virtus,
Non dispar cremio, segnes vix sustinet artus;
5. Ac velut æstiuis arescunt solibus herbæ,
Facta tabe vigor sic cordi exaruit omnis:
Quod cœli dapibus mea mens ieiuna, cadensque
6. Immemor abstinuit. * lautis accumbere mensis
Ista gemens tenui; pallens tunc ora, lacertosque
Exedit macies, qua nunc cutis ossibus hæret.
7. Nec solúm pascunt inopes ieiunia cœnæ,
Congressus hominum fugiens secreta pererro;
Qualis desertæ pelicanus confraga syluæ,
Qualis nycticorax gaudet subiisse relictas,
8. Semirutasque domos; * non somno pulsa refugit
Cura vigil: veluti passer loca sola requirens,
Largius illacrymans me summa in tecta recepi.
9. Viderat hæc hostis, noctemque, diemque malignis
Mordebat dictis: & qui me laude ferebant,
Cum scelera eluerem lacrymis, mihi dira parantes
Porrexere suas iurata in fœdera dextras.
10. Culpabant tyrio non me discumbere in ostro,
Sed panem cinere, & potum corrumpere fletu:
11. Extulerat prhensum, grauiori & pondere ab alto
Me tua præcipitem voluens alliserat ira.
12. Heu mihi diffugere dies, velut effugit vmbra;
Aruit & fœno similis meâ viuida virtus.
13. Ast tibi, Rex, nunquam labentia tempora morsus
Illident, seris quin nulla nepotibus ætas,
Nulla tuum poterit nomen delere vetustas.
14. Tu facilis, placidusque Sion misereberis vltro,
Exsurges, rumpesque moras. nunc æthere summo
Illuxere dies, nunc affore tempora cerno.

15. Cerà

15. Cerno tuis famulis lapides placuisse Sionis,
Delectos lapides: studijsque, opibusque fouebunt
16. Altricem terram: * metuent tua nomina gentes,
Teque, tuumque decus, posito diademate, Reges.
17. Condidit ille Sion, cœli qui condidit arcem,
Omnipotens opifex, sacraque videbitur aula
Se sua concesso manifestans gloria vultu.
18 Audijt ille humiles, pia vota, precesque secundans.
19. Ista secuturum lustris labentibus æuum
Scripta sibi discat. video post tarda futuros
Sęcula, cœlicolum tollant qui carmine Regem,
20. Quod cœli delubra tenens huc lumina fixit.
21. Vinctorum ad gemitus, properans exsoluere nexus
Captiuæ sobolis, misera de stirpe parentum,
Ad quos sub vetita mortem tulit arbore serpens.
22. Exemit nodis dextras, & colla catenis,
Vt Domini nomen resonent iuga celsa Sionis,
Et laudes Solymę, & meritos persoluat honores,
23. Dum populi coeunt, Regesque ad iussa parati
Huic sua sceptra vouent, cumulantque altaria donis.
24. Hæc vatem vt monuit, mens omnis conscia veri,
Hæc vates responsa dedit: venerabile Numen
Dum vigor, atque suo firmæ stant robore vires,
Fac, noscam exiguos, fatorum arcana reuoluens,
25 Quot numeret mea vita dies, nec funere acerbo
Mors inopina mihi florentes proterat annos.
Hæc audi, tacito qui non consumeris ęuo,
Immotusque manes, omnis dum voluitur ætas.
26. Principio vacuæ librasti pondera terræ,
Astrorumque ignes, cœlumque, quod imminet orbi;
27. Attamen his, veluti pereant, decor omnis abibit:
Tu senij sine labe viges. cœlum omne vetustas
In-

Ingruet, vtque clamys vetus, & detrita, senescet.
28. Tunc polus hærentem, velut indumenta senectam
Exuet, inque alios vultus transire iubebis,
Vt vix antiquæ seruet vestigia formæ.
At tu, Rex, idem ipse manes, idemque manebis,
Nec tibi deficiunt sæclis abeuntibus anni.
29. Ecclesiæ primos proceres, à sanguine prisco
Isacidum, dabis orbe nouo, cœloque recenti
Felices habitare plagas: & semine sacro
Progenitos duces ad sæcula diuitis æui;
Quo vocat insontes non interitura voluptas.

4. *Cremium*, lignum semiustum. *S. Hier.*
6. *Carni*, pelli. idem Hier.
7. *Nycticorax*, bubo.
24. *Via virtutis*, cursu iuuentutis, & fortitudinis.
29. *Saculum* beatæ vitæ.

DE PROFVNDIS.

Vide Completorium.

Vide Completorium.

Domine exaudi. Psal. 142.

Timet, ne iudicetur, & puniatur à rigidiore iustitia.

1. NE refuga Deus aure preces, questusque repellas
Mundi opifex. memini: venia est promissa gementi
Te, veri, & iusti custos, suspiria flectant.

2. Haud

2. Haud ſedeas iudex famuli; non ante tribunal
Purus nequitiæ, vitæ non integer vllus
Siſtetur coram: tua Rex ne ſeuiat ira.
3. Exanimis iaceo: ferus irruit hoſtis adortus
Hanc animam, affixitque luto: radijſque negatas
4. Me dein in latebras rapuit, cęcoſque receſſus,
Priſca velut putri congeſta cadauera buſto;
His mea mens confuſa malis, vt luctibus ægra
Diriguit, nigræ cor turbauere procellæ.
5. At primum rediere animi, ſimul ordine cępi
Antiquos memorare dies: mirabile dextræ
Percurrens opus omne tuæ, cauſaſque requirens
Ignotas, noui pronum te parcere culpæ.
6. Ilicet & veniam, gemerem dum flebile crimen,
Expanſæ petiere manus. pulcherrime rerum
O ſubeas mea corda celer: te pectore toto
Ardeo; ſic hyadas, ſic fœtos imbribus auſtros
7. Opperiens, ſiccis humus æſtuat arida glebis.
Da mihi te mitem (non ſit mora longior), audi
Singultus, planctuſque meos: vigor excidit omnis,
Et robur membris, animo linquente, refugit.
8. Ne vultus auerte tuos; tum protinus illis
Par eſſem, quos, heu, præceps immane ruentes
Excipit, & nigris feruens lacus obruit vndis.
9. Eia age cœlipotens, primos ſub luminis ortus
Dic miſero, placidum tibi me ſuſpiria reddunt:
Dudum ſolabar luctus, tua mitia laudans
Pectora, nec fallet, dixi, ſpes irrita mentem.
10. Quo properem, mihi pande viam: leuis aſtra, tuoſque
Acceſſus, mea vita, petam: non fœda moratur
Terra gradus: animæ celeres amor addidit alas.
11. Addidit: at rabidi terrent circumundique vultus.

Ad

Ad te confugi, me subtrahe fortior hosti.
Inde mihi ignato, quo sit tua nota voluntas
Da menti cœleste iubar, te pronus adoro
12. Vnde satus. * fugit ecce pauor: spirabile Numen
Dux erit ad rectam, fallant ne deuia, terram.
Tu puram dabis æque Parens sine crimine vitam;
Vt tibi clarus honor; tibi sit memorabile nomen.
13. Ærumnas miserata graues tua dextera franget
14. Hostiles ausus: * perdetque immane furentes,
Iactantesque minas; famulum tua iussa verentem
Me tegit, inde meum tua iussa verebitur æuum:

PSALMVS
DE PASSIONE DOMINI

Saluum me fac Deus. Psal. 68.

Christi patientis ærumnæ, Iudæorum persequentium pœnæ.

1. SAluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad * animam meam.
* Vitalia, vt respirare nequeam.

1. *OBruor: affusi subierunt viscera fluctus:*
Obruor: alme parens auxiliator ades.

2. Infixus sum in limo profundi, & non est * substantia.
* Subsistentia, vbi pes subsistat

2. *Alligat aggestus vestigia lubrica limus,*
Nec dat nutantem sistere posse gradum;

3. Veni

Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.
Me tumidi medias disiecit in æquoris vndas,
Inde procelloso gurgite mersit hyems.
4. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
4. *Diriqui: vt dudum cui vox, & lumina languent,*
Dum petit, & spectans sydera, sperat opem.
5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.
5. *Non tot ab intonso pendent mihi vertice crines,*
Iniustis odijs quot nocuere mihi.
6. Confortati sunt, qui persequti sunt me, inimici mei iniustè: quæ non rapui, tunc exoluebam.
6. *Inualuitque furor cædem sitientis iniquam:*
Pœnas, cum deerat culpa luenda, dedi.
7. Deus tu scis insipientiam meam; & delicta mea á te non sunt abscondita.
7. *Est, tibi, qua plector; nota insipientia Numen,*
Noscis & assumpti criminis esse reum.
8. Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.
8. *Expectant qui te columen, modo causa pudoris*
Ne sim, cum videant me sine labe pati.
9. Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel.
9. *Et te quærentem mea ne conuitia turbent:*
Fors ait: heu iusti destituuntur ope.
10. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.
10. *Iusta rogo; vt rapti tibi restituantur honores,*
Fœda tuli, & vultus erubuere mei:
11. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

11. Fra-

11. *Fratribus externus, nulli ceu cognitus hospes,*
Matre mea genitis ceu peregrinus eram.

12. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobantium tibi, ceciderunt super me.

12. *Me templi, quod læsus honos, exederit ira,*
In me, te contra iurgia iacta cadunt.

13. Et operui in ieiunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi.

13. *Calauique dapes anima, ieiunia passus,*
Opprobrioque, fames esurientis erat.

14. Et posui vestimentum meum * cilicium: & factus sum illis in parabolam.

* Carnem mortalem.

14. *Scis hoc ipse rudi, sed amato tectus amictu,*
Quam fuerim Solyma vilis in vrbe iocus.

15. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.

15. *Qui sedet ad portas iudex, me carpere dictis,*
Et probra est ausus psallere vina bibens.

16. Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus:

16. *His, contra, meliora precor: Rex summe ferendo*
Auxilio, en adsunt, qui placuere, dies.

17. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

17. *O multum miserans, ò verax ferre salutem,*
Aures ne querulis vocibus obde tuas.

18. Eripe me de luto, vt non infigar, libera me ab ijs, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

18. *Affigor, propera cœno diuellere gressus,*
Meque hosti, atque imis exime Numen aquis.

19 Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me pro-

profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.

19. *Me dudum ne mergat hyems, ne abſorbeat æſtus,*
Ne putei coeant ora, relicta fuga.

20. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua ſecundùm multitudinem miſericordiarum tuarum reſpice in me.

20. *Solamen miſeris, & ſpes, placidiſſime Diuum,*
Verte aures, verte & luctibus ora meis.

21. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor; velociter exaudi me.

21. *Ne rigidus puero vultus abſconde paternos:*
Torqueor: optatam ne mora tardet opem.

22. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

22. *Exanimor: curis me ſolue, & vt horreat hoſtis,*
Eripe dein, tumulo condita membra, neci.

23. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam.

23. *Te, genitor, non mixta latent dicteria ſannæ,*
Et mihi quale genas occupet igne pudor.

24. In conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miſeriam.

24. *Hi quibus exagitor, tua ſunt ante ora: meique*
Opprobrij, & cadis praſcius ipſe fui.

25. Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.

25. *Oppertens luctus comitem, curæque leuamen,*
Irrita vertebam lumina, nullus erat.

26. Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.

26. *Viribus exhauſto mihi fel dedit hoſtis in eſcam,*
Porrectumque ſitim terruit acre merum.

Iudæo-

Iudæorum calamitas.

27. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in 1. retributiones, & in 2. scandalum.

1. Meritarum pœnarum. 2. ruinam.

27. *Dent pœnas, proniique ruant: velut esca volucres,*
Sic mensa ad laqueos insidiosa trahat.

28. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.

28. *Cæca, ne videant, obscurent lumina noctes;*
Curuaque perpetuum terga fatiget onus.

29. Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

29. *Non rabiem sub corde premas: exundet in hostes,*
Comprehensosque furens destinet ira neci.

30. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet;

30. *Defendant pluuium nulli tentoria cœlum.*
Et custode vacent tecta relicta domus.

31. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt;

31. *A' te percussum gens perculit impia: plagis*
Addita plaga meis, vulneribusque dolor.

32. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.

32. *Crimina criminibus iungant: & honesta monentis*
Iustitia claudat, gratia sancta, fores.

33. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribātur.

33. *Deleat hos libro vita mansura litura:*
Et nomen, iustos inter, habere veta.

34. Ego sum pauper, & dolens: salus tua Deus suscepit me.

34. *Sum pauper, sum multa dolens: sed abite dolores;*

Me

Me tua susrepit, te miserante, salus.

35. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.

35. *Quod veneror, Domini celebrabunt carmina nomen, Et magnum lingua vera fatentis erit.*

36. Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas.

36. *Hac manis, rupta quam nuper fronte iuuencum, Cui durat teneros vngula prima pedes.*

37. Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuet anima vestra;

37. *Ista videns letetur inops: viuetis in æuum, Solantem miseros quærite corda Deum.*

38. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.

38. *E' solio Dominus questus audiuit egeni; Et vinctos iussus carcer abire dedit.*

39. Laudent illum cœli,& terra,mare,& omnia reptilia in eis;

39. *Laudet terra Deum; laudet cœlumque, salumque, Atque feræ, & volucres, squammigerumque pecus.*

40. Quoniam Deus saluam fecit Sion, & ædificabuntur ciuitates Iuda.

40. *Ponet enim Iudæ munitas manibus vrbes, Stabit & incolumis nobilis arce Sion;*

41. Et inhabitabunt ibi, & hæreditate aquirent eam,

41. *Templo sacra Sion habitabitur æmula cælo, Atque hæres vacuas non sinet esse domos;*

42. Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

42. *Hic gignet Dominos, Domino gens fida, nepotes Hæc sedes, Domini nomen amantis, erit.*

FINIS.





